



… vera stima, l'Autore

HORAE SYRIACAE

SEU

COMMENTATIONES ET ANECDOTA

RES VEL LITTERAS SYRIACAS

SPECTANTIA.

AUCTORE

NICOLAO WISEMAN S. T. D.

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO LL. OO. PROFESSORE,

IN COLLEGIO, VERO, ANGLORUM PRO-RECTORE

ET SS. LL. INSTITUTORE.

" *Non diffiteor, me prae caeteris, Syriacas litteras amare ob eam causam, quod magis ad illustrandas res Ecclesiae Christi, quam ad aliam operam Orientales Graecis Latinisque adjunxi.* "

T. S. Bayer, in Thes. Ep. La Croz. T. I. p. 21.

TOMUS PRIMUS.

Ullenbach
Rome 1832

Specimen Cod. Vat. 153. Recen. Karkaph.

1

[illegible]

2

ܐܘܫܥܢܐ

ΗΕΡΟΥϹΑΛΙΜ

3

ΕΥΑΝΓΕΛΗΟΝ:

N. Wiseman del. F. Trojani inc.

HORAE SYRIACAE

SEU

COMMENTATIONES ET ANECDOTA

RES VEL LITTERAS SYRIACAS

SPECTANTIA.

AUCTORE

NICOLAO WISEMAN S. T. D.

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO LL. OO. PROFESSORE,

IN COLLEGIO, VERO, ANGLORUM PRO-RECTORE

ET SS. LL. INSTITUTORE.

" *Non diffiteor, me prae caeteris, Syriacas litteras amare ob eam causam, quod magis ad illustrandas res Ecclesiae Christi, quam ad aliam operam Orientales Graecis Latinisque adjunxi.* "

T. S. Bayer, in Thes. Ep. La Croz. T. I. p. 21.

TOMUS PRIMUS.

ROMAE

TYPIS FRANCISCI BOURLIÈ

MDCCCXXVIII.

VIRO · EMINENTISSIMO

PLACIDO · ZVRLAE

LEONIS XII· PONT· MAX·

IN · VRBE · VICARIO

NICOLAVS · WISEMAN

OPVSCVLVM · HOC · AVSPICIIS · EIVS · SVSCEPTVM

ET · ABSOLVTVM

PRIMITIAS · INDVSTRIAE · SVAE

GRATI · ET · OBSEQVENTIS · ANIMI · MONVMENTVM

DEDICAT.

PRAEFATIO

Ex quo Orientales Litterae excoli in Europa coeperunt, videntur Syriacae Musae Urbem peculiare sibi domicilium elegisse. Namque ut *Amiram*, *Ecchellensem*, *Naironum*, aliosque antiquiores silentio praeteream, tot ac tam praeclara opera in hisce litteris Romae prodierunt, ut jure asserere liceat, praeter SS. Librorum versiones, et quod edidit *Brunsius Barhebraei Chronicon*, nihil pene lucem aspexisse quod Romanorum Pontificum nomine non fuerit insignitum. Tales liturgici Syrorum et Chaldaeorum libri, talia *Acta SS. Martyrum Orientalium*, talia *Ephraemi* Opera, talis denique praeclara *Bibliotheca Orientalis*, vere cedro digna; quae quidem omnia, nisi Sanctae Sedis patrocinio edita fuissent, non solum lingua Sy-

riaca arcto sacrorum librorum limite adhuc teneretur, sed nec compilari potuissent tot Chrestomathiae quae hisce ipsis ex operibus concinnatae, ad hoc studium invitant et manu quodammodo ducunt.

Attamen haec non ita dicta velim, ut aliarum gentium eruditos horum studiorum incuriae insimulem. Namque etiam inter nos ita floruerunt, ut non ex ipso solo enata, sed nostris litteris ab aliis insita videantur. Quotquot enim egregia monumenta Syriaca prolata sunt, non a nostris sed ab ipsis Orientalibus praesertim vero Maronitis hic degentibus elaborata fuerunt; et quidem eo fato, ut extincta clara *Assemanorum* stirpe, nihil amplius publici juris factum sit ex divitiis quas possidemus nisi paucula quaedam *Adleri*,[1] *Tychsenii*,[2] aliorumque peregrinorum ope vulgata.

Hoc quidem mirum videri debet; litteras

(1) *Novi Testamenti Versiones Syr. . . denuo examinatae a Jac. Geor. Christ. Adler.* Hafniae, 1789.

(2) *Physiologus Syrus*. Rostochii, 1795.

enim Syriacas Ecclesiasticis disciplinis maximae utilitati esse, oppido constat. Non habent quidem fabulas aut poemata eleganter conscripta qualia Arabia et Persia jactant; at in sacris disciplinis et in historicis monumentis vix ullis aliis primum locum cedunt. Ea enim de gente agitur, qua nulla unquam theologicis disceptationibus magis est delectata, quaeque, mediam pene Asiae sedem occupans, rerum praeclare gestarum non solum spectatrix sed potius theatrum saepe effecta est. "Triumphat, autem, atque jure suo exsultat . . . . virtus humana, quum Syrorum de omnibus fere, quos Asia alit, populis praeclara merita cogitantur. Illi enim, dum sancta religionis praecepta per totum Orientem divulgabant, bonarum etiam artium semina sparserunt, barbarorumque ingenia ad humanitatem conformarunt. Horum memoriam recolere, in eo vera laus, vera gloria posita est.„[3]

(3) *Eichhorn. Praef.* ad *Poeseos Asiat. Comment. Auctore Guiliel. Jones*. Lips. 1777. p. XIV.

Quae quum ita sint, putavi mihi omni ardore in has litteras incumbendum, non quidem ut essem curiosior verborum et apicum indagator, sed, ut quae aliquem fructum allatura sperarem sacris disciplinis, ea sedulo notarem, et, occasione oblata, in medium proferrem. At, illorum hortatui cedens qui apud me plurimum possunt, longe citius quam statueram in publicam palaestram descendi, et quidem adeo parum instructus, ut ipsa in scribendo materia excogitanda potius mihi fuerit quam ordinanda. Operam tamen navavi ut Commentationes has raptim penitus concinnatas, saltem rerum novitate, doctorum virorum oculis non omni ex parte indignas redderem.

Primam scribendi causam praebuit quae contra Catholicum dogma de SS. Eucharistia commentus est in Anglia nuperus scriptor. Videbam enim ad ipsum confutandum requiri Syriacae linguae peritiam, et opportuna sese offerebat occasio praebendi specimen quamvis per-

tenue eorum quae desiderantur in optimis hujus linguae Lexicis. Non quidem me latet quale studium requiratur ad Lexicon conscribendum, quam improbus labor in verbis congerendis, quam patiens et acris investigatio in significationibus definiendis. Accedit praeterea *Castelliani* operis praestantia, quod quidem te emendaturum vix sperare potes nisi integrum incudi reddere audeas; at *quot libras* in uno viro requirit hujusmodi coeptum Augeanum Herculis laborem vincens! Porro quum specimen a me propositum hunc solum finem habuerit, ut, allatis novis significationibus, adversarium confutarem, et uno eodemque ictu defectum Lexicorum in *significationibus praebendis* patefacerem, hinc non mihi vitio vertendum si de ordinandis hisce significationibus nihil prorsus cogitaverim. Nam et in hoc saepius peccare *Castellum* jam me satis experientia docuerat, jamque dudum monstraverat *Ioannes Frid. Gaab*, de vitiis Lexici *Castelliani* a *Michaele* editi scite et erudite disse-

rens.[4] Quod si quis putaverit me leviora tantum collegisse, et discrepantiarum potius umbras quam veri nominis discrepantias protulisse, ne ad scopum mihi propositum iterum revertar, quae ipse attuli comparet cum supplementis *Castelliano* Lexico a *Michaele* intextis, vel cum iis quae ad *Buxtorfii* et *Gesenii* subsidium in medium protulit *Antonius Theod. Hartmann*;[5] aut quae nuperrime edidit de Lexicis Hebraicis *Ernes. August. Mahn*;[6] neque credo saepe subtiliora iis inveniet, quae viris istis doctorum omnium plausum conciliarunt. Quidquid vero

(4) *Hen. Eber. Gotil. Paulus*, *Memorabilien*. Fascic. I. pp. 92-96. Quem librum quum nactus non essem, compendium dissertationis istius, ea qua ornatur humanitate, ad me misit vir doctissimus D. *Fourrerius Ackermann*, in Vindobonensi Universitate Prof.; neque hoc solum beneficium est quod Cl. viri amicitiae acceptum refero.

(5) *Supplementa ad Buxtorfii et Gesenii Lexica*. Rostochii, 1813.

(6) *Berichtigung zu den vorhandenen Wörterbüchern*, etc. Goettingae, 1827.

sit, non inopportunam commentationem hanc reddit renovata etiam hoc anno criminatio quam repellit, in collationibus, nimirum, de vera Religione Dublinii habitis, inter *Ric. T. P. Pope* et *Thom. Maguire*: 7

Subsequuntur Commentationes duae in quibus de versionibus Syriacis Veteris Foederis disseritur. In priori de Peschito ea in unum collecta dedi quae mihi videbantur animadversione digna in ipsius origine et historia investigandis. " In tanta vero librorum huc pertinentium abundantia mihi quoque etiamnum campum relictum videbam, in quo vires meas exercerem, satis latum. " 8 Altera plenam continet notitiam Recensionis Karkaphensis quae diu frustra quaesita solo nomine inter eruditos noscebatur. Longior fortasse fui

---

(7) *Authenticated Report of the Discussion which took place between The Rev. Richard T. P. Pope and The Rev. Thomas Maguire, etc. Dubl.* 1827. Pp. 270, 310.

(8) *De Pentateuchi Versionis Syriacae quam Peschito vocant indole Commentat. Critico-exeg. Scripsit Lud. Hirzel.* Lips. 1825. p. 6.

quam res postulabat; sed in re penitus nova, sciebam hanc culpam facilem sibi veniam impetraturam.

Tomulum tandem claudit fragmentum ineditum AEgyptiorum chronologiam spectans.

Maximam adhibui diligentiam ut opus quam accuratissime ederetur, sed "erratur ab omnibus aliquando librariis, unde evenit ut liber nullus lapsuum expers sit; neque, summa cura adhibita, vincere ars naturam potuit.,, 9

Puncta vocalia locis ex Codicibus depromptis passim addidi, nisi in variantium collectione, in qua summa religione antigrapha mea transcripsi, nec non iis in locis in quibus verebar ne error aut dubium lectoribus contingere posset, si proprio marte auctorum verbis quidpiam adjunxissem.

Restat igitur ut iis omnibus grates persol-

(9) *Io. Dav. Michaelis. Programma de Principio indiscernibilium. In Syntag. Commentatt. Par. sec.* Goettingae 1767. p. 219.

vam qui mihi, in hoc scribendo libello, animum auxerunt vel praebuerunt auxilium. Et quidem, praeter Eminentissimum Virum qui operis, suo nomine ornando, tutelam suscepit, mittere mihi non licet Reverendum Collegii nostri Rectorem, qui horum studiorum suasor semper et hortator mihi adstitit, nullumque unquam in me officium omisit, quod olim prudentem moderatorem, nunc vero amicum summe colendum deceat. Neque pariter silentio praetermittendus Vir toto litterario orbe clarus, Ill. *Angelus Mai*, sub cujus auspiciis Bibliothecae Vaticanae κειμηλια Syriaca evolvi; quique, quum nihil a se alienum putet quod litteris sacris profanisque, quas omnes dum colit exornat, possit benevertere, me in his studiis aliquid proficere conantem, jam non dicam urbanitate sed et benevolentia est prosequutus.

Libellum tandem lectorum humanitati committo; quod si hoc meum qualecumque tyrocinium a viris doctis sin minus laudem sal-

tem veniam fuerit consequutum, me libenti animo accingam ut, non solum alios tomos otium nactus edam, sed et ad alia, quae molior majoris momenti, curam et laborem convertam.

Datum e Collegio Anglorum Urbis.
Prid. Non. Decemb. MDCCCXXVII.

NIHIL OBSTAT : Michael-Dominicus Zecchinelli S.J. Cens. Theol.
NIHIL OBSTAT : Andreas Molza Cens. Philol.
IMPRIMATVR : Fr. Th. Dom. Buttaoni M. S. P. S.
IMPRIMATVR : *J. della Porta Patr. Constantinop. Vicesgerens.*

NIHIL OBSTAT : Michael-Dominicus Zecchinelli S.J. Cens. Theol.
NIHIL OBSTAT : Andreas Molza Cen. Philol.
IMPRIMATVR : Fr. Th. Dom. Buttaoni M. S. P. S.
IMPRIMATVR : *J. della Porta Patr. Constantinop. Vicesgerens.*

I.

DE OBJECTIONIBUS,

CONTRA SENSUM LITTERALEM LOCORUM

Mat. XXVI. 26, 28, *Mar. XIV.* 22, 24, *Luc. XXII.* 19, 20, *I. Cor. IX.* 24, 25.

SEU VERBORUM SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTUM INSTITUENTIUM, EX INDOLE LINGUAE SYRIACAE NUPERRIME INSTAURATIS,

COMMENTATIO PHILOLOGICA,

CONTINENS SPECIMEN SUPPLEMENTI AD LEXICA SYRIACA.

DE OBJECTIONIBUS CONTRA SENSUM LITTERALEM *MAT. XXVI.* 26.28. etc. EX LINGUA SYRIACA DUCTIS COMMENTATIO PHILOLOGICA.

§. I.

Totius disputationis status exponitur.

Quanta eruditione, quantoque acumine laborem in eo impenderint Acatholici, ut verba, quibus realem Christi praesentiam in Eucharistia evincimus, ad figuratum sensum deflectant, neminem, credo, latet, qui Theologicis disciplinis vel leviter sit imbutus. Nihil intactum reliquerunt, quod vel ex reconditis Scriptorum Ecclesiasticorum thesauris depromptum, [1] vel ex Hebraeorum Archaeologia, [2] vel denique ex Sacrarum Litterarum loquendi ratione, [3] haustum, causam suam probaturum censebant. Contra hos omnes



(1) Quorum praecipuus est Albertinus (*Aubertin*), cujus immensum opus, *De Sacramento Eucharistiae*, *etc.* post ejus obitum, curis Blondelli lucem aspexit *Davent.* 1654. *in fol.*

(2) Vide inter alios, *Buxtorfium*, (*De Coena Domini* §§. 46, 74. et *De Synagoga Jud.* XII. p. 254.) *Whitby*, *Hammond*, *Le Clerc*, aliosque apud *Elsley*, (*Annotations on the four Gospels*, Lond. 1824. T. I. p. 416.) *Kuinoel*, (*Commentar. in Libros Histor.* Lips. 1816. T. I. p. 733.) *Adam Clarke* (*Discourse on the Eucharist.* pp. 50. - 54. etc.).

(3) Conf. praeter Auctores supra citatos, *Wetsteinium* (*Novum Testam. Comment. in Mat.* p. 519.) *Lightfoot*, (*Horae Hebraicae* etc. T. II. Operum Rotterd. 1686. p. 381.) *Eichhornium* (*Ueber die Einsetzung - Worte des h. Abendmahls*, in ejusdem *Allgemeine Bibliot.* T. VI. pp. 759. - 772.) Hujus argumenta infra expendemus.

arma sumere, nec animi est nec instituti. Quum enim argumenta haec, a viris eruditione ac ingenio venerandis, jam satis non dicam repulsa sed profligata prorsus fuerint et prostrata, vix et ne vix quidem sperare possem, me aliquid novi hac in re fore allaturum. Sed neque hoc patitur *Horarum Syriacarum* titulus quem huic meo libello praefixi; quippe qui ea tantum pertractanda assumat, quae vel Philologiae Syriacae, vel ex ipsa hac philologia caeteris disciplinis aliquid lucis queat affundere.

Neque vero desunt inter adversarios, qui Philologiam quam dico ad sua castra vocare ausi sint, et eam tamquam suis partibus, in quaestione quam agimus, faventem, totam sibi vindicare. Quum enim totius contentionis vis in eo posita sit, quod Catholici Institutionis verba in sensu obvio et litterali sumenda asserant, Protestantes vero ad typos et figuras confugiant; maximi momenti res est, *usum et rationem loquendi* ita investigare, ut videamus utrum verba illa, eo scilicet quo prolata fuerunt sermone, *figuratum* etiam, aut solum *litteralem* sensum patiantur.

Hinc strenue contenderunt, inter antiquiores Protestantium primipilos, Calvinus, Piccardus, Melancthon, aliique, [4] Christum Hebraico sermone usum fuisse, (Aramaeo magis vere dixissent); hunc vero

---

(4) Ap. *Tournelii* Continuatorem inf. citand. " Quod verbum ἐςὶ idem hic sit quod Latine dixeris *significat*, ex eo nonnulli post *Cameronem* in *Myrothecio*, et *Lempereurium* colligunt, quod Hebraeis desit ejusmodi vox quae τό significat exprimat. „ *Wolfius*, *Curae Philol. et Criticae* etc. Basil. 1741. T. I. p. 371.

ita vocibus omnibus destitui quibus *figurae* vel *signi* idea exprimatur, ut ipse solam illam voculam *est* adhibere potuisset, si voluisset Symbolum sui Corporis constituere. Hinc, in voce illa nullam *emphasin* ponendam, asseruerunt; sed ejus vim tanquam soni dubii, aeque *figurae*, *ac existentiae*, sensum passuri, aliunde esse extricandam.

Nova ratione, horum argumenta instaurare nuperrime conatus est, in Anglia, *Thomas Hartwell Horne* in libro [5] ingenti suorum plausu excepto, [6] et saepius, brevi temporis spatio, typis recuso; nec immerito, si ingentem viri eruditionem, et improbum viginti annorum studium in eo compilando impensum spectes; habet tamen de Catholicis falsa multa et docto penitus indigna. Sic igitur iste de verbis SS. Eucharistiam instituentibus.

" Si verba Institutionis *Anglice* seu *Latine* primum prolata fuissent, aliqua ratio fuisset quare supponeremus Salvatorem nostrum ut ad litteram sumerentur voluisse. Sed prolata fuerunt *Syriaco* sermone; in quo quidem (quod et in Linguis *Haebraica* et *Chaldaica* locum habet) *nullum vocabulum habetur*, *quo* significandi, repraesentandi,

(5) *An Introduction to the Critical Study and Knowledge of the Sacred Scriptures. Fifth Edition, Corrected*. Hoc est; *Introductio ad Studium Criticum et Cognitionem Sacrarum Scripturarum. Quinta Editio, emendata*. Londini 1825.; quatuor Tomis in octon. typis minutis editum, et multis Codicum et Editionum rariorum speciminibus ornatum opus, totam Introductionem Criticam et Hermeneuticam, generalem et specialem in utrumque Testamentum continet.

(6) *V. Orme, Bibliotheca Biblica*, Edinburg. 1824. p. 247.

denotandi *idea exprimatur*. Hinc est quod phrasin *hoc est*, tam crebre in SS. Litteris usurpatam inveniamus, pro hac, *repraesentat*, seu significat. Sic in Genes. ,, etc. etc. exempla jam satis trita hic congerit, quibus allatis sic procedit. " Notatu praeterea dignum est, nos habere Versionem completam Evangeliorum, Syriaco idiomate conscriptam, quae ineunte saeculo secundo, nisi forte primo labente facta fuit; et probabile est nos in ipsis habere eadem ipsa verba, quae tunc Dominus pronunciavit. Loci Matthaei xxvi., 26. 28. textus Graecus metaphrasin ad verbum sistit; *neque quisquam, etiam hodie, eandem linguam* (Syriacam) *loquens, adhiberet, inter populum cui ipsa vernacula; alia verba ad exprimendum*, Hoc *REPRAESENTAT* Corpus meum, *et* Hoc *REPRAESENTAT* Sanguinem meum ,, scilicet nisi haec Hoc *EST* Corpus meum, et Hic *EST* Sanguis meus 7.

---

(7) Agit Horneus de Interpretatione Figurarum in Sacro Codice, exemplumque ponit verba Institutionis, eorum locorum quae ad litteram sumenda non sunt; quia contradicunt *contextui*, *locis parallelis* et hujusmodi aliis. En igitur verba quae fideliter ut potui reddidi, quemadmodum in Archetypo jacent. " If the words of institution had been spoken in *English* or *Latin* at first, there might perhaps have been some reason for supposing that our Saviour meant to be literally understood. But they were spoken in *Syriac*; in which, as well as in the Hebrew and Chaldee languages, there is no word, which expresses to *signify*, *represent*, or *denote*. Hence it is that we find the expression *it is*, so frequently used in the sacred writings, for *it represents*, or signifies. So, in Gen . . . . It is further worthy of remark, that we have a complete version of the Gospels in the Syriac language, which was executed at the commencement of

Hinc, juxta hosce omnes, ex verbis institutionis nullum argumentum pro nobis potest adduci; quum phrasis ambigua in utramque partem aeque pendeat; immo si ipsis credas, collatis aliis ejusdem formae locis, suae opinioni faveat. Quae omnia si vera essent, Catholicos certe validissimo eo argumento privarent, quod ex intrinseca tam clarorum verborum vi, sponte efflorescere videtur.

Certum quidem est hanc arguendi rationem adversariorum rem nullatenus posse conficere; hoc enim solum inde resultaret; in phrasi dubia extricanda, recurrendum esse ad alia hermeneutica subsidia; *consideranda priora, media et subsequentia, et nectenda universa quae* de hac re *scripta sunt*; [8] diligenter expendenda, si qua sint, loca parallela, [9] et, ut alia taceam, investigandae avitae illae Ecclesiarum *traditiones*, quae per tot ac tam ab invicem disjectos rivos, tamen a communi Apo-

---

the second if not at the close of the first century, and in them it is probable that we have the precise words spoken by our Lord on this occasion. Of the passage Matt. XXVI. 26. 28. the Greek is a verbal translation; nor would any man even in the present day, speaking in the same language, use, among the people to whom it was vernacular, other terms to express, " This represents my body ", and, " This represents my blood. " Par. II. Cap. V. Sec. I. T. II. p. 590.

(8) *S. Hieronym.-In Mat.* L. IV. ad Cap. XXV. 15. Ed. Venet. 1769. T. VII. Pa. I. p. 205.

(9) Audi *Wolfium* post verba supra relata sic recte loquentem: " Sed vide *Hackspanium* qui inter caetera observat, si vel maxime id largiamur, negari non posse *Graecos habere ejusmodi verbum*, quo Evangelistae uti potuissent, si quidem ea verbi εἰς notio hoc loco esset ".

stolorum fonte profluentes, in hoc ubique gentium consentiunt, in verbis quae tractamus, sensui obvio et naturali inhaerendum. Sed hoc Theologi munus: ego vero Philologum ago. Mihi enim optimum videtur illud decertandi genus, quo adversariorum jacula non solum devitamus, sed et in ipsos retorquemus; quo non solum eorum telum saepe a Catholicis detusum, tanquam imbelle et innocuum veritati fidentes contemnimus, sed potius iis arreptum in eorum caput exitiumque convertimus.

Quare putavi me rem non ingratam facturum, si, iis armis quae ipsi jactant indutus, aggrediar adversarios; et ea quae ex indole *Linguae Syriacae* contra Catholicum dogma comminiscuntur, ea ex ipsa lingua confutare suscipiam; *immo ostendam hujus linguae indolem nobis hac in re impense favere*: quo, et Theologis aliis studiis curisque distractis, hoc qualecumque subsidium philologicum suppeditem, et eos qui Sacrarum Disciplinarum stadium percurrunt ad Orientalium linguarum studium, inter eos tam prostratum penitus et incultum, accendam si qua valeam, et alliciam.

§. II.

De iis quae jam ab aliis adducta sunt ad hanc adversariorum objectionem diluendam.

Antiquorum quos primos nominavi argumentum confutandum suscepit Auctor *Additionum* quae Doctissimi Tournelii praelectionibus annectuntur, [1]

(1) Ed. Venet, (1765?) T. VIII. p. 44.

sed, ni fallor, vix in omnibns se feliciter expedivit; quum esset, ut legenti patet, Linguarum Orientalium plane imperitus. Ut igitur ostendat falso asseri nullum esse terminum in lingua Christi vernacula, quo *figuram* exprimere potuerit, affert ex Buxtorfii Lexico Rabbinico etc., vocem *horaah* (הוֹרָאָה) tanquam *significatum* vel *significationem* exprimentem, [2] qua utens hujusmodi sententiam proferre potuisse Salvatorem ait; *Seh horaah guphi* (זה הוא הוראת גופי). Sed vereor ut stare possit talis loquendi ratio; nam vox allata potius *verborum* aut *sententiarum* significationem innuere videtur, sensu scilicet *grammaticali*, quam rerum typicarum. Hoc colligere licet tum ex aliis hujus vocis interpretationibus a Buxtorfio adductis, tum ex eo quod pateat ipsum hoc solo sensu, τα *significatio* et *significatum* usurpare. [3]

Nec magis ad rem in medium protulisse videtur, ex eodem Buxtorfio verbum *dugma* (דוגמא) quod post Guidonem ex Graeco δογμα deducit, quum et verbi significatio, et R. Eliae auctoritas [4] ad vocem δειγμα illud moneat referendum. Sed quantum licet ex exemplis a Buxtorfio collectis, apparet, *typi* seu symboli sensum, vocem istam sibi nusquam vindicare.

---

(2) Buxt. *Lexic Chald.* etc. Col. 984.

(3) Collatis nimirum col. 1161, ubi sic habet. « Apud Rabb. לשון est *locutio, loquendi modus, vocabulum, significatum, significatio vocabuli* „; et col. 1633. quo loco scribit vocem ענין esse *significatum, significationem, sensum alicujus vocabuli*. V. etiam col. 961.

(4) Referente Buxtorfio, ib. col. 502.

Post haec, duo ex Syriacis depromit vocabula, quibus figuram exprimendi vim tribuit, nullo tamen solido innixus fundamento. Primum nimirum est *ramas* (ܪܡܙ) quod, ut ipse monet, apud Lexicographos Protestantes *Schaaf* et *Leusden*, his verbis redditur, " Annuit, innuit, indicavit, *designavit*; ,, [5] unde etiam symbolice *designandi* sensum eidem affigit. Quod si in citato Lexico, integrum comma perlegisset Vir Doctus, sic profecto invenisset; " Annuit.... designavit ,, aliquid, *oculis*, *manibus*, *pedibus*. " Neque alium sensum patiuntur loca in Sacro Codice ubi ista vox legitur, neque extra hunc ulla exempla a Shaaf seu ab ipso Castello citantur. [6]

Labitur etiam in voce quam secundo loco ponit, *schauda* (ܫܘܕܥ) quamque, ad eosdem provocans, reddit; " Nunciavit, *significavit*, *annuit*, *signum dedit*. 7 Sed quidquid, de sensu quo hae interpretationes

(5) *Lexicon Syriacum Concordantiale etc. a Carolo Schaaf*, Ed. 2. Lugduni Batav. 1717. p. 553.

(6) Ex. gr. Lu. I. 64. V. 7. Jo. XIII. 24. etc.

(7) *Lex. Syr.* p. 231. Significationes has, clausis oculis, ex Castelliano Lexico in suum transtulit *Schaaf*; qui, quamvis non parvi faceret suam Linguae Syriacae cognitionem, (Conf. ejus *Sermonem Academicum de linguarum Orr. scientia, et de sua harum lingg. doctrina*, Lugd. Bat. 1720, p. 10.) et certe optimum Novi T. Lexicon Syriacum concinnaverit, *si pro concordantiis* habeatur; tamen non adeo profunde in criticum linguae studium progressus videtur. Erit in alia Commentatione, ubi fusius de eo agam: interim judicium accipe viri certe doctissimi, quamvis de Catholicis non bene meriti. " Quae de *Syriacis Epistolis* nuntias, *ad Car. Schaaf datis*, ea magis placerent, si mihi minus constaret de Schaafii simplicitate et ἀκρισία. Hominem bonum

sumendae sunt, urgeri possit, hoc certum, significationem *res symbolo repraesentandi* nullis exemplis probatam hactenus fuisse a Lexicographis, unde absque idonea auctoritate voci nostrae apponitur.
Ex hisce omnibus apparet laudatum Auctorem, linguae Syriacae inscitia, ideo minus ad rem egisse, quod duo vocabula in medium protulerit, quorum neutri conveniat vis quam ipsis tribuit, si exemplis hactenus adductis standum sit. Sed tamen casu fortunaque non multum a veritate aberravit, utrique enim hanc significationem nunc primum conciliandi (absit dicto invidia) munus mihi assumo, idque exemplis luculentissimis ex maxime classicis Syriae scriptoribus. Satis vero ex dictis constat, quam facile hallucinari possint viri caeteroquin docti qui nodos hujusmodi philologicos solvere aggrediuntur, quum tamen in rebus quae tractant sint plane hospites.

§. III.

Adversarii argumenta posse sibi ipsi nocere.

Quanam lingua Christus ejusque Apostoli in colloquio usi sint, res est quae adhuc sub lite in Philologorum foro constituitur: [1] libenter tamen *Horneo* dabo ipsos inter se familiariter agentes, praesertim vero in ritu sacro peragendo, linguam *Aramaeam*

esse scio, sed Syriacae Linguae longe minus peritum, quam se vult haberi. „ *Thesaur. Epistolicus La-Crozianus*. T. III. p. 282. Vide etiam ibid. p. 33.

(1) Vide hac de re, *Excursum*, ad calcem hujus Commentationis.

seu Syro-Chaldaicam usurpasse. Caveat tamen *Horneus* sibi, ne, in vocibus Graecis explicandis, nimis facile Syriasmos captet! Ut quid enim phrasin per se satis obviam, qualem tractamus, et planam in dialectum Syriacam transferendam censet, ut ejus sensum eruat? Quot sane errores in interpretando Sacro Codice, admissi sunt, ex perpetua hac ad Syriasmum recurrendi libidine, in rebus quae tali illustratione non egebant! [2] Quot verba et verborum

---

(2) Qui in recentiorum Biblicorum scriptis paulum sit versatus innumera exempla ad manus habebit. Nemo magis ad interpretationem S. Codicis Syriasmum advocavit, quam *Boltenius*, qui, in sua Germanica versione, pene hoc principium ponit, textum Graecum in linguam Syriacam primum vertendum, ut ejus verus sensus eruatur. (Cf. *Eichhorn Allgemeine Bibl.* T. V. pp. 518, 519.) Sic etiam *Paulusius* ejusque scholae Interpretes omnia fere Christi miracula e medio tollere conati sunt, hoc, inter alia, Syriasmi subsidium adhibentes. Exemplum ex recentissimis praebeat *Hen. Christ. Rettig* (*V. Ephemerides exegetico-theol.* Fasciculus 3. Gissae 1824. p. 56.) qui, *de Jesu ambulatione in lacu Galilaeo* agens, et Christum *in navicula* lacum transfretasse probare satagens, quum Joannis phrasis περιπατȣντα ἐπι την θαλασσην (Jo. VI. 19.) nimis suam hypothesin urgeat, ad Hebraismum confugit; et videns verbum περιπατειν ab Alexandrinis Interpretibus pro Heb. בוא, et הלך poni, haecque de *navibus* dici, inde concludit Joannem quoque facili ratione περιπατειν ponere potuisse de *navigatione*. Sed non vidit ipse, specioso magis quam solido Hebraismo se decipi. Nam *naves* ut et *pisces* dicantur quidem in Sacris Litteris maria *ambulare*, (ut reddunt Graeci et Latinus Intt.) at ii qui *navibus vehuntur* vix, puto, mare *ambulare* dicuntur. Joannes porro non *navem* sed *Jesum* ambulasse ait. Quod si, durum etiam illud primum sonet, simile habes apud Latinos exemplum quod maxime ad rem est. Sic igitur *Cato* de emendo agro; "Oppidum validum prope siet, aut *mare*, aut *amnis*, *qua naves ambulant*." (*De Re rustica* C. I.

nexus ab antiquioribus Criticis ad hunc seu ad Hebraismum remandata sunt, quae tamen recentiorum solertia et diligentia apud optimae notae Scriptores invenerunt! [3] Quod si vere scripsit *Kypkius* " in Novi foederis tabulis, multas peperisse peregrinitatum accusationes, *Graeci* sermonis imperitiam „ [4] possumus etiam addere non semel errasse ejusmodi Criticos quibus Horneus accensendus, linguae *Aramaeae* inscitia; quatenus scilicet vocibus et dicendi modis inter Orientales vim affigerint, quam omnino non patiuntur.

Quae quum ita sint, si in locis de quibus agimus, solidum sit adversarii argumentum, videat, ne, in *aliis* interpretandis, sibi, ut ajunt, crucem paraverit. Hoc jam saepius a Catholicorum propugnatori-

---

in T. 1. *Scriptorum de Re rus.* Venet. 1783. p. 10.) Sed ex eo quod Latini non *minus quam Hebraei*, *naves* ambulare per mare dicant, nemo eandem phrasin ad eos *qui vehuntur*, transferret; unde maxime *emphatice* loquitur de Xerxe Tullius dicens " *Maria ambulavit*, terram navigavit, „ quamvis de Hellesponto pontibus trajecto hoc dicat.

(3) Scilicet *Bosii*, *Wolfii*, *Wetsteinii*, *Raphelii*, *Kypkii*, *Elsneri* etc. Ut unum exemplum adducam; *Vorstius* de voce ξηρὰ, in Mat. XXIII. 15. obvia, disserens, ad Hebraismum recurrit. "Libuit Scriptori Sacro vocem ξηρὰν usurpare, eique novam significationem imponere. *Factum autem est illud propter Hebraeam* vocem יבשה. „ Concluditque non licere vocem eo sensu apud Graecos deprehendere. (*Johannis Vorstii de Hebraismo N. T. Commentarius*. Amstel. 1665. T. 1. C. II. p. 20) Quod si *Kypkium* consulas (Op. mox citand. T. 1. p. 114.) exemplum invenies ejusdem vocis eodem sensu usurpatae a Strabone, ut et aliud valde analogum.

(4) *Georgii Dav. Kypke Observationes Sacrae in Novi Foederis Libros*. Wratisl. 1755. T. 1. Praef. p. 7.

bus fuit notatum, vix posse Anglicanos contra realem Christi praesentiam argumentum ullum adducere, quod non liceat Socinianis pari jure, in ipsos retorquere.[5] Quod quidem, ni totus fallor, hodie Horneo accidit. Nam si verum sit, linguam Aramaeam, quam solam, ipso teste, Apostoli a teneris unguiculis calluerant, nullam vocem possidere, qua *figuram* exprimere valeat, sed hanc constanter verbo substantivo exprimere, pari jure dicendum erit, ipsos hunc dicendi modum in sua scripta Graeca transfudisse. Nam hoc ex capite tot Syriasmos in N. T. Viri docti quaesierunt et invenerunt, quod Apostoli Graece scribentes, voces eo sensu adhibuerint quem verba iis aequipollentia, in lingua sibi vernacula aliquando patiebantur.[6] Sed et hoc me *Horneus* docet; nam, *ideo* a Luca et Paulo *Graece* scribentibus usurpa-

(5) Vide Viri Doctissimi *Joannis Lingard*, *Tracts, occasioned by the Publication etc.* Newcast. 1813. pp. 32. seqq. et 336.

(6) Protestantes dico, nam cum Protestante ago. Ita *Ludovicus De Dieu* (*Praef. Gramm. Lingg. Heb. Syr. et Chald.* Francof. 1686.) "Sancti viri Syriace conceperant quae Graece scripserunt.„ *Paulusius* (*Kritisches Kommentar*, etc. T. II. p. 443.) "*Nahm etwa .... der griechisch redende Aramäer das griechische Wort selbst in eben der Ausdehnung, wie das ihm angewohnte aramäische.*„ idest "Tulit forsan Aramaeus Graece loquens verbum Graecum eadem extensione quam habebat vox Aramaea cui assueverat.„ Vide etiam *Ernesti* (*Instit. Int. N. T.* Ed. 5. Lips. 1809. p. 87. seqq.) *Eichhorn*, et *Schaaf*, (locis citatis in 6i praec. 7a, et hujus, 2a nota.) *Michaëlis* (*Introductio in N. T. a Marsh Angl. versa*, 4. Ed. Lond. 1823., T. I. p. 126.) *Adler* (*Nonnulla Mat. et Marci enunciata ex indole Linguae Syriacae explicantur: prolusio etc.* Havn. 1784. p. 4.) Cf. etiam Thesin, *De Hebraismis ap. Mat.* Upsal. 1797. p. 2. Alios innumeros omitto.

tam ait voculam *est* pro τῳ significare, *quia* in lingua *Syriaca*, nulla vox invenitur quae hujus vim sibi vindicet. 7 Quae si semel admittantur, quisnam interpretandi licentiae fraenum injiciet!

Quis v. g. est quem lateat, quantam vim, quantamque emphasin in illa phrasi Joannis ponant ipsi Anglicani, Θεος HN ὁ λογος, *Deus* ERAT *verbum*. Quis nescit quantum se contorserint Ariani et Sociniani ut hujus textus vim eluderent; quanto ardore contenderit *Photinus* 8 et post eum alii, avellendam a primo illo commate vocem ὁ λογος proximoque adnectendam, *Crellius* vero Θεȣ potius quam Θεος legendum; 9 eo quod vi illius voculae HN tantopere premerentur! Quam pulchre vero eorum rem effecit Horneus si vera narrat! Scilicet Joannes ea lingua utebatur, quae nullo verbo figurae exprimendae apto gaudet; *neque*, ut Hornei verbis utar, *si quis hodie in populo cui ipsa vernacula, vellet exprimere Verbum, Dei* IMAGINEM *esse, aliis terminis uteretur nisi his, Deus* ERAT *Verbum*! Hinc, ut monui, Graece scribens eadem phrasi uteretur, non minus ac

(7) Loco citato, ubi inter exempla quae omisi, varia ex hisce duobus adducit.

(8) Ita S. *Ambrosius*, "Scindit vestimentum Photinus, quum legit; In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat. Integrum enim vestimentum est, si legas; et Deus erat verbum.„ *In Prooem. Luc*. Ed. Rom. 1579. T. III. p. 5. E. Ita et Auctor *Quaestt. V. et N. T.* in Append. III Tomi *Opp. S. Aug.* Ed. Maur. Par. 1680. p. 82.

(9) Cf. *Jo. Alb. Bengel*, (*Apparat. Critic.* p. 214. seqq.) *Christ. Bened. Michaëlis* (*Tractatio Critica de Varr. lectt. Ni. Ti. caute colligendis* §. XI. p. 18.) et *Wetstein* ad Jo. I. 1.

Paulus et Lucas eadem ex ratione ab Horneo allati. Hinc contendere posset aequo jure Socinianus ille, *nullam emphasin* in illa voce ponendam, et omnia loca quae Horneus, tanquam parallela, adducere; immò ea congerere in quibus Christus *Dei imago* expresse nuncupatur, [10] tanquam *dubiam* illam formulam explicantia! Hinc est quod Horneus, dum Catholicos hoc suo argumento confodere quaerit, infensissimis suae Ecclesiae hostibus novum telum porrigat, in se suosque convertendum.

§. IV.

Tantum abest ut Lingua Syriaca vocibus destituatur FIGURAM seu SYMBOLUM exprimentibus, ut quavis alia plura forte habeat.

Sed quaestio movetur *de facto*. Horneus, vel linguam Aramaeam prorsus ignorat, [1] vel mala fide lectoribus fucum facere quaerit; *illud* quidem verum

---

(10) Qualia 2. Cor. IV. 4. Coloss. I. 15.

(1) Quamvis saepe hujus et aliarum lingg. utilitatem praedicet, nunquam tamen, quod memini, se ipsas callere ostendit; e contra in iis non raro hallucinatur. Sic (T. I. p. 221.) ait, " Jerusalem aliquando appellari *Kadesh* (Hebraice, *Keduscha*, Syriace vero KEDUTHA) seu Sancta, unde *Cadyti* Herodoti correspondet.„ Ast quamvis ש Hebraeorum aliquando in ܬ a Syris mutetur, nunquam tamen in *hac voce* talis mutatio evenit, (quod ipsi tyrones scire debent) nec, puto, in aliis in quibus Arabica dialectus ش non habet. (Cf. *Iahn*, *Einleitung in die Götll. Büch. des A. B.* Ed. 2. T. 1. p. 262.) De *Hebraica* Hornei scientia, etiam durius forte loqui possem, si e re esset; errores enim habet, qui mirer quomodo irrepserint, nisi ex linguae Sacrae imperitia.

mallem, sed vereor ne qui tam confidenter de iis quae nescit asserit, etiam malae fidei notam necessario incurrat. Et quidem in Sacris Litteris idea *Symboli* aliquando exprimitur; quumque habeamus, ut recte docet Adversarius, earum versionem Syriacam, necesse est ut idea haec, *aliquo* saltem *modo* in ipsa reddatur; quod si *ullo modo* reddatur, non deerant verba quibus Christus Eucharistiam instituens uti potuisset.[2]

Fateor quidem consulentes Syriaca Lexica, pauca hujusmodi verba inventuros quae typum exprimant; et quae habentur vix idoneis exemplis roborantur. Hinc potius ad ipsos auctores recurrendum, qui purioris Syriasmi fama inter suos gaudent.[3] Ex his autem

---

(2) Ita Rom. V. 14, Adam Christi venturi *typus* appellatur: ubi *Schleusnerus* (*Novum Lexic. Graeco-Lat. in Novum T.* Ed. 4. T. II. p. 1173.) *similitudinem* reddere vellet vocem τυπος, sed conf. omnino *Theophylactum* (*ad lo.*) Sic quoque ὑποδειγμα Heb. VIII. 5. et IX. 23. occurrit, ubi ex contextu clare patet *Symbolum* designari. In omnibus hisce locis versio Syriaca *Simplex* habet ܕܡܘܬܐ, cui hanc vim plenius infra vindicabo.

(3) Praecipuos enumerat *Jacobus* Edessenus Ep. (ap. *Assemani Bibl. Orient.* T. I. p. 475.) scilicet *Ephraemum*, *Jacobum Sarugensem*, *Xenajam* (*Philoxenum*) aliosque; quibus adjungendi, ipse certe *Jacobus Edess.* qui linguam pristinae puritati restituisse dicendus est; (Ibid.) et *Gregorius Barhebraeus* inter grammaticos Syros nulli secundus. Quod si quis vereatur hos linguae *recentioris* testes fore, cogitet, Horneum ad eos quibus ipsa vernacula, provocare, sed et neque tam facile linguas Orientales mutationes quas nostrae pati: " *Das Syrische in der Pheschito aus dem* II. *Jahrhunderte, ist von dem Syrischen des Abulfarag oder Barhebräus, in der mitte oder zweyten Hälfte des* XIII. *Jahrhunderts nicht verschieden* " Hoc est; " Syriasmus *Pheschito*

spero, me non solum adversarii argumentum invictissime confutaturum; sed etiam, divitias ubi paupertatem ipse jactat effodiendo, me id effecturum, ut philologi Orientales percipiant, quam imperfecta adhuc sit hujus linguae cognitio, si adminiculis quae habemus confidere velimus. *Specimen* igitur hoc accipiant, nonnullorum quae desunt in optimis Lexicis: in quo quidem concinnando, non in mente habui, ut quae haec praebent, in meliorem ordinem redigam; sed tantum, ut in verbis quae *figuram* significant, sensus novos si quos inveni suppleam, errata vero in jam inventis castigem.

SPECIMEN SUPPLEMENTI AD LEXICA SYRIACA.

ܐܬܐ

Exacte significationes verbi Hebraici אות sequitur, unde mirum non est quod pro *typo* usurpetur. [1] Sic *Ephraemus* animalia ab altari arcenda mystice exponens, notat illud quod auribus mutilatum erat, tanquam ܐܬܐ ܕܠܐ ܡܫܬܡܥܢܘܬܐ ܡܚܘܐ, *symbo-*

(Versionis Simplicis) secundi saeculi, non differt a Syriasmo *Abulpharagii* seu *Barhebraei*, medio aut labente XIII. saeculo „ prolato. *Jahn* ubi sup. p. 266.

(1) Horneus linguae Hebraicae negat possessionem vocis qua *symbolum* exprimatur; sed ipsum ex se ipso confuto, et quidem brevissime. Citat enim Gen. XVII. 10. tanquam locum, ubi *est* ponitur pro *symbolo*. Ibi Deus Abraham docet, *circumcisionem esse* suum cum ipso *pactum*, id est, pacti *symbolum*, זאת בְּרִיתִי; porro, versu statim sequente, habemus Circumcisionem esse אות בְּרִיתִי; loca sunt perfecte parallela, et si in primo loco, verbum *est* (*subintellectum*) stet loco *symboli*, in se-

lum inobedientiae exprimens. [2] Cf. et alium locum T. I. p. 201, F.

ܪܡܙ

Indicandi, *praedicandi* etc. notiones in Lexicis sibi adhaerentes habet; his aliam adde, *symbolice repraesentandi*, sequentibus aliisque nixus exemplis ex *Ephraemo*, ut caetera fere omnia, desumpta. " Caper qui, emisso altero in desertum, occidebatur, ܡܪܡܙ ܠܡܫܝܚܐ ܕܐܬܢܟܤ ܚܠܦܝܢ *repraesentabat* Christum, qui pro nobis occisus est. [3] Secundum Pascha in deserto ab Israelitis observatum, ܡܪܡܙ ܠܦܨܚܐ ܓܡܝܪܐ, *typus erat* illius Paschatis perfecti, quod in futura vita celebratur.,, [4] Qui plura loca conferre vellet, adeat ejusdem Patris T. I. pp. 230, F. 238, B. 257, E. 267, E. 283, E, F. 289, F.

ܕܡܐ

Similitudinis exprimendae vis huic verbo a Lexicographis tribuitur; sed aliquando talem similitudinem denotat, quae *typum* includat. Hinc *Ephraemus*, animalia sacrificiis inepta *symbolice* explicans, sic disserit ܗܘ ܕܦܣܝܩܐ ܐܕܢܗ ܕܡܐ " Illud cui amputata

---

cundo, vox אות *symbolum* vere significat! Cf. etiam *ib.* IX. 12, etc. In versiculis 23, 26, quos *Horneus* citat ex eodem Cap. XVII. *nihil prorsus habetur*!

(2) *Ephraemi Opp. Syr.* T. I. p. 247, F.

(3) Ib. p. 245, A.

(4) Ib. p. 255, A.

cauda *repraesentat* eum qui semper contentione plenus est. „ [5] Eodem sensu occurrit apud eundem T. I. p. 243. B.

ܕܡܘܬܐ

Inter varias hujus vocis significationes in Lexico Castelliano, habetur illa *imaginationis* absque ullo exemplo: fortasse tamen respondet significationi radici a *Michaeli* appositae ex Jer. X. 7, collato *Buxtorfii* Lexico Chald. Habes tamen exemplum, in *Ephraemo* T. I, p. 209, F. ubi nominat ܫܘܚܢ̈ܐ ܕܕܡܘܬܐ ulcera *imaginaria*, seu specie tenus tantum existentia; forsan rectius *apparentiae* reddi posset.

Est etiam ܕܡܘܬܐ apud Philosophos et Theologos, *forma*, sensu in Scholis obvio, cujus exemplum invenies in quodam *Sulacae* Carmine ab *Assemano* citato. [6]

Tandem accurate respondet voci Graecae τυπος, proindeque est *exemplar*, quo sensu habetur in Act. XII. 44, ubi sermo est de Tabernaculo ad *exemplar* a Deo monstratum, construendo; et etiam *typus*, cujus exempla supra dedi ex versione Novi T. Hoc etiam sensu passim in Scriptoribus Syriacis occurrit, sic; " Simeon et Levi ܕܡܘܬܐ ܗܘܘ ܠܣܛܢܐ ܘܠܡܘܬܐ *figurae* erant Diaboli et mortis. „ [7] " Ut in honore

(5) Ib. p. 247, F.
(6) *Bibliot Or.* T. I. p. 540.
(7) *Ephr.* T. I. p. 112, F.

esset illis Tabernaculum ܡܛܠ ܕܕܘܡܝܐ ܗܘܐ ܕܡܫܟܢܐ ܕܒܫܡܝܐ quia *typus* erat Tabernaculi Coelestis. „ [8] Haec *Ephraemus*, quem etiam consule T. I. pp. 208, C. 231, A. 254, B.

Concinit *Sarugensis* loco infra saepius citando; [9] cui jungendus *Maruthas* Tangritensis Epis. qui ineunte saeculo quinto floruit; cujus vero locum integrum infra dabo, quippe qui expresse de reali Christi praesentia agat, sufficeretque, si omnia alia deessent, ad Horneum confutandum. [10]

ܕܘܡܝܐ

In Peschito ponitur Rom. II. 20. pro Graeco μόρφωσιν; videtur tamen etiam *symbolum* denotare; ut apud *Ephraemum*, in tertia Concione *de Margarita*; [11] sub cujus figura *fidem* adumbrat. Eam ergo sic alloquitur " Parvitati tuae data est ܠܟܝ ܕܘܡܝܐ ܕܒܪܐ Corona Filii (Dei) *symbolum*. „

ܡܕܡܝܢܐ

In Castello redditur *assimilans*, *comparans*, nullo annexo exemplo. Vocem bis inveni, sed ex contextu utriusque loci patet, illam, rem vel personam *alterius figuram* gerentem denotare. Uterque est *Jacobi Edesseni*; qui " Rebeccam dicit adiisse Melchizedec Sacerdo-

(8) Ib. p. 223, E.

(9) In Lev. XIV. In *Opp. Ephraemi* T. I. p. 243.

(10) Vide §. VII.

(11) Opp. T. III. p. 154, F.

tem Altissimi, ܘܦܪܨܘܦܐ ܠܛܘܦܣܐ ܘܨܘܪܬܐ ܕܡܫܝܚܐ et *typum* et *figuram* Messiae. „ [12] Iterum paulo infra occurrit (sub littera F) ubi voci ܛܘܦܣܐ ita jungitur, ut de ejus significatione nullum dubium subesse possit.

ܡܚܘܝܢܘܬܐ

Huic voci sola *indicandi* et *annunciandi* notio a Lexicographis affigitur; rectius vero apponeretur illa, quocumque modo *monstrandi*, non solum *verbis* sed et *rebus*, ita ut etiam *oculis* subjecta fidelibus designet. Exempla hujus significationis non tam colligere, quam ex copia qnam habeo seligere difficile invenio: tam frequenter enim occurrit, ut mirer tam jejune vocem hanc a Castello tractari, aut saltem ipsum a *Michaëli*, aliquod supplementum ibi annectente, hac in re non fuisse ampliatum.

Jacobus Edess. Liturgiam exponens, Sacerdotem Sacramenta elevata, populo *ostendere* sic declarat; ܢܚܘܐ ܠܐܪ̈ܙܐ ܠܟܠܗ ܘܚܘܝܐ ܐܝܟ ܠܟܠܗܘܢ ܥܡܐ [13] Eodem modo saepius ab eo usurpatur; [14] ut et ab *Ephraemo* qui rem indigitare per ܚܘܝܐ ܒܪܡܙܐ exprimit, [15] nec non a *Xenaja* Mabugensi. [16]

(12) Ib. T. I. p. 173, D.
(13) *Assem. Bibl. Or.* T. I. p. 483.
(14) Ib. p. 485 *summa*, ubi bis occurrit.
(15) T I. p. 241, E.
(16) In *Tractatu de Trin. et Incar.* ap. *Assem. Bib. Or.* T. II. p. 21.

Ex qua significatione sponte enascitur alia, rem *typo designandi*, qua passim in Scriptoribus Syriacis gaudet. Audi *Ephraemum* : " Incensum manipulo impositum ܡܚܘܝܐ *designabat* commixtionem [17] Divinitatis cum ejus Humanitate.,, [18] " Haec (animalia immunda) hominum animos corrumpentes ܡܚܘܝܐ *repraesentabant*.,, [19] Exempla alia sumere possem ex eodem T. I. pp. 222, D. 229, B. 230, E. 231, A, D. 232, A. 233, A, C. 236, D. 246, F. 255, A. 261, D. 283, E. 290, A, F. Huic adjungendus *Jacobus Edessenus*, qui omnia in Isaac sacrificio allegorice sumens, inter alia, Asinum, quem secum duxit Abraham, fuisse ait ܠܥܘܝܪܘܬܐ ܕܐܝܣܪܝܠ ܡܚܘܝܐ *symbolum* coecitatis Israelitarum. [20]

ܡܚܘܝܢܘܬܐ

In Lexico Cast. absque exemplo redditur *monstratio*, *indicatio*. Legitur apud *Ephraemum* pro *typica* rei *indicatione*, [21] quantum ex contextu judicare licet; quamvis donec alia collegero, non pro re certissima dabo.

---

(17) Hac phrasi minus accurata (ܡܘܙܓܐ) non *commixtionem* sed *unionem* duarum naturarum a Theologis Syris denotari, solide et erudite ostendit Cl. et Doctissimus *Assemani Bib. Or.* T. I. p. 81. Cf. etiam p. 107.

(18) T. I. p. 238, A.

(19) Ib. p. 241, F.

(20) Ib. p. 171, E.

(21) Ib. p. 289, C.

ܛܘܦܣ ܐܬܛܦܣ

Typice repraesentatus est, ut habet Castellus; exemplum invenisse non memini. Est tamen primaria vocis significatio *transcribi seu transferri imago*, ut in pictorum arte, quo sensu occurrit in versione quadam ex Graeco in Syriacum facta a Monacho Simeone, [21*] de qua fusius in alia Comment.

ܛܘܦܣܐ

Vocem istam a Graeca τυπος derivare, eamque in significationibus presse sequi, omnes norunt qui versiones Syriacas Sacri Codicis vel summis labiis delibarint. Jejune tamen admodum a *Castello* tractatur, nec multo abundantius a *Schaaf*; unde nonnulla in eorum supplementum hic annotare operae pretium duco. Est igitur *forma*, qua utuntur artis fusoriae periti ad metalla conflata in figuram quamvis redigenda, quantum concludere licet ex Commentario *Ephraemi* in Exodi XXXII., ubi haec de vitulo aureo obvia sunt. ܫܩܠܘܗܝ ܕܝܢ ܐܘܡܢܐ ܠܕܗܒܐ ܘܨܪܘܗܝ ܒܛܘܦܣܐ ܘܥܒܕܘܗܝ ܠܥܓܠܐ ܕܢܣܟܬܐ

" Tulerunt autem artifices aurum, et finxerunt illud in *forma*, et fecerunt illud in vitulum conflatilem. „ [22]

Inde ad *formam* seu *figuram* (puta *scriptionis*) exprimendam transfertur cujus significationis exem-

(21*) *Cod. Vat.* CXXXVI. (*not. nov.*) fol. 7.
(22) T. I. p. 224, E.

plum praebet Barhebraeus qui de lamina aurea, quam Judaeorum Pontifex in fronte gestabat, haec narrat.

ܘܓܠܘܦ ܥܠܘܗܝ ܓܠܘܦܐ ܕܚܬܡܐ ܩܘܕܫܐ ܠܡܪܝܐ ܗܘ
ܗܢܘ ܕܝܢ ܫܡܐ ܕܡܪܝܐ ܒܐܣܟܡܐ ΠΙΠΙ ܕܐܝܬܘܗܝ ܝܗܝܗ

" *Et insculpe illi sculptura sigillari*, SANCTITAS DOMINO, hoc est, Nomen DOMINI hac *forma* ΠΙΠΙ quod est *Jahjah*[23] ,, יהוה. Inde de rebus quae *speciem tantum* non vero substantiam habent, ali-



(23) *Gregorii Barhebraei* ܐܘܨܪ ܐܪ̈ܙܐ *Thesarus Mysteriorum*, Cod. Vat. CLXXI. (*notationis novae*, quae numeros Catalogi editi unitate antecedit), fol. 34 *a tergo*. De hac nomen יהוה scribendi forma, audi ipsum *Barhebraeum* in Exodi III. 14 commentantem (ib. fol. 26.) ܘܐܡܪ ܐܠܗܐ ܠܡܘܫܐ ܐܗܝܗ ܐܫܪ ܐܗܝܗ ܗܘ ܕܐܝܬܘܗܝ

ܘܫܪܝܪܐܝܬ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘ ܕܝܢ ܝܘܢܝܐ ܦܝܦܝ ܩܪܝܢ ܠܗ: ܡܛܠ ܕܫܒܥܝܢ ܘܬܪܝܢ

ܘܦܫܩܘ ܡܢ ܕܝܩܪܗ ܕܫܡܐ ܗܢܐ. ܒܟܬܒܐ ܥܒܪܝܐ ܐܟܬܒܘܗܝ ܒܟܬܒܐ ܝܘܢܝܐ

ܗܟܢܐ. ΠΙΠΙ ܘܒܗܘܢ ܕܫܘܝܢ ܗܘܘ ܒܟܬܒܐ ܘܩܪܝܢܐ. ܗܘܐ ܕܒܟܬܒܐ ܐܝܟ

ܦܐ ܗܘ ܕܝܘܢܝܐ. ܡܢ ܒܬܪ ܟܠܗ ܐܝܟ ܕܒܟܬܒܐ ܩܪܐܘܗܝ ܦܝܦܝ ܗܘ ܗܘ

ܕܐܝܬܘܗܝ. ܘܗܢܐ ܟܠܗ ܒܠܚܘܕ ܐܝܟ ܕܝܘܢܝܐ ܦܝܦܝ ܗܢܐ ܕܠܐ ܡܫܬܘܕܥ ܡܢ.

" Et dixit Deus Mosi *Ahijah aschar hijah* (אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה) hoc significat, *qui est*, *et vere est*; Graeci vero (Interpretes) PIPI illud legunt; quia septuaginta duo (Intt.) reverentia affecti erga majestatem nominis istius, ipsis litteris Hebraicis illud scripserunt in Graeco textu, sic, ΠΙΠΙ; et quum idem sit *Jod* Hebraice et Graece, et *He* Hebraicum simile sit *Pi* Grae-

quando usurpatur; quo sensu *Ephraemus* Magorum AEgyptiorum ranas *specie tenus* tantum existentes ܐܘܪ̈ܕܥܐ ܕܛܘܦܣܐ appellat, quas opponit ranis *veris* ܐܘܪ̈ܕܥܐ ܫܪ̈ܝܪܬܐ [24] quasque infra ܦܢܛܣܝܐ (φαντασιαν) vocat. Nec aliter adhibita vox videtur in Opp. *Severi* Antiocheni, quae ex Graeco in Syriacum transtulit, ineunte saeculo sexto, *Paulus* Callinici Episcopus. [25] Ejus Epistola ad *Solonem* (ܣܘܠܘܢ) Seleuciae Ep. *de Angelis Abraham invisentibus* carptim citatur in Cod. Vat. CIV. (*not. nov.*) qui continet Commentarios SS. *Ephraemi* et *Jacobi* etc. per modum *Catenae*, ut vocant, dispositos. [26] Angeli igitur illi dicuntur panem non vere comedisse,

ܗܠܝܢ ܓܝܪ ܕܐܝܟ ܒܚܙܬܐ ܘܒܛܘܦܣܐ ܐܬܚܙܝܘ

" illa enim quae quasi aspectu et *specie* tenus videbantur,,, etc. [27]

Tandem *typum* stricte sumptum denotat. Esto enim, ut *Suicerus* contendit, [28] vocem τυπος in

---

eorum, a dextera ad sinistram juxta Hebraicum JAHJAH legitur; hoc significat, *qui est*; et a sinistra ad dexteram, juxta Graecum, PIPI, nomen nullius prorsus significationis compos.,, Fere eadem repetit in Ps. VIII (fol. 84). In re quam Auctores passim tractant, (Cf. tamen unum pro omnibus *Guiliel. Gesenium, De Pentateuchi Samar. Origine, Indole et Auctoritate*. Halae, 1815. p. 12.) potius ipsum Barheb. adduxi, ut ejus pronunciationis linguae Sacrae specimen darem.

(24) *Opp.* T. I. p. 208. D.

(25) Videsis *Assem. Bibl. Or.* T. II. p. 49.

(26) De hoc Cod. v. ib. T. I. p. 607.

(27) Ad C. XVIII. Geneseos.

(28) *Suiceri Thesaur. Ecclesias. Amstel.* 1728, T, II. p. 1341.

Epistola prima Pauli ad Corinthios (c. X.) *exemplum* reddi deberi : quum vero vox Syriaca ܛܘܦܣܐ quae ibi legitur, etiam pro *exemplo* certissime ponatur *aliquando*, [29] quod miror a Castello non notari, hinc est quod ad certiora confugiendum; et certe vix ullum verbum ad *typum* significandum accuratius hoc determinatur, si Auctoribus Syriacis standum sit. Quod quidem ita extra omnem dubitationis aleam ponitur, ut exemplis diserte transcribendis pene supersedere statuerim; Haec tamen sufficiant.

Ephraemus;" Zabulon ad littus habitans ܛܘܦܣܐ ܗܘ ܗܘܐ *typus erat* populorum juxta Prophetas degentium.,, [30] Alia exempla invenies, ex multis quae missa facio, T. I. pp. 173, C. 232, E. 243, A. 252, A. 254, B (bis,) C. 259, C. 263, B. 264, C. 265, E. 268, D. 275, F. 276, C, D, E, F. 277, A, E.

Nec minus familiaris idem vocis usus utrique *Jacobo*, *Sarugensi* scilicet [31] et *Edesseno*, ex quo haec accipe; " Melchizedec erat ܛܘܦܣܐ ܠܡܫܝܚܐ *typus* Messiae.,, [32] " Isaac sacrificandus ܛܘܦܣܐ ܕܡܫܝܚܐ

(29) Cf. Jo. XIII, 15, ubi voci Graecae ὑπόδειγμα substituitur, quae certe ibi *exemplum* denotat. E contra quum eadem Graeca vox, *typus* absque dubio reddenda, ut Heb. VIII, 5, IX, 23, in *Simplici* non invenitur ܛܘܦܣܐ sed ܕܡܘܬܐ de quo vocabulo, supra relata consule.

(30) T. I. p. 113, A.

(31) Ib. p. 243.

(32) Ib. p. 160, C.

typus Christi, et servi qui cum eo erant ܛܘܦܣܐ ܕܝܗܘܕܝܐ *typus* Judaeorum ." [33] Et ita passim .

Concinit *Maruthas* Tangritensis, cujus locum integrum §. VII. dabo .

Barhebraeus vero hanc vocem passim usurpat, ita ut meminerim (locum non notavi) aliquando usque ad taedium, ipsum hoc sensu eam adhibere . In Prooemio in Levitic., sacrificia veteris legis Christi sacrificii ܛܘܦܣܐ appellat. [34]

ܛܘܦܣܢܐܝܬ

Recte Castellus *typice*; quod si exempli confirmatione egeat, dabo infra ex *Joanne Marone*, cujus locum §. septimo reservo.

ܨܘܪܬܐ

Idem quod Graecum εἰκών; *effigies* scilicet; unde absque ulla vi, ad *symbolum* seu *figuram* exprimendam trahitur. Exemplum unum tantum habeo, sed alteri indubitatae significationis, vox jungitur. "Vidi (in *Margarita* qua fides repraesentatur) mysteria regia ܨܘܪܬܐ ܘܛܘܦܣܐ ܕܗܝ ܪܒܘܬܐ *figuras* et *typos* illius Majestatis ." [35]

ܡܬܠ

In sola conjugatione *Aphel* ponitur a Castello, sed et in *Pahel* adhibetur, significatque *comparare*, *assi-*

(33) Ib. p. 171, E.
(34) Ubi supra, fol. 37.
(35) *S. Ephr. Sermone* I. *de Marg. Opp.* T. III. p. 150, C.

milare; unde in quodam *S. Isaaci Magni* carmine affirmatur quod, "Esaias mundum ܠܚܨܝܪܐ ܘܠܥܣܒܐ ܡܬܠܗ foeno et herbae *assimilaverit*. „[36] Sed et in *Pehal* invenitur, ejusque significatio est, *similis esse*, et inde *typice repraesentari*; non secus ac Arabicum مثل nomenque ab eo derivatum مَثَل, quod quandoque ideam rem *symbolice* repraesentandi in se videtur continere; [37] nihil enim vetat quin verbum ܡܬܠܬܐ, ܡܬܠܬ (quod a Castello absque exemplo diverse redditur) pro passivo participio habeamus. Forma hoc suadet, et occurrit modo in foemeninis participiis passivis, maxime usitato, [38] sic; " Peccatum,

(36) In *Assem. Bibl. Or.* T. I. p. 222, n. 19.

(37) V. *Koranum*, Sur. II. vv. 262, 265, 266. Sed manifestissimum hujus significationis exemplum ex Canone Syriacae Ecclesiae infra dabo, §. VIII.

(38) Scilicet in statu regiminis ante praefixum. Notum est Grammaticos idiotismis linguae Syriacae hanc constructionem accensere. (Cf. *Olaum Tychsen*, *Elementale Syriacum*, Rostochii, 1793, p. 25.) Talem exhibet phrasis in Novo Testamento obvia ܢܣܒܝܢ ܕܘܟܬܐ (Mat. XXIII, 13, seqq.) illa ܢܦܫ ܕܒܠܗ (*Elem. Syr.* p. 93.) et aliae: et foem. sing. II. Pet. I, 1. etc. Sed longe frequentius videtur constructio ista occurrere, in participiis pass. foem. quale certe est quod habemus in textu, Apocal. XII. 15, et alibi passim. At, quod notandum praecipue censui est, ita construi nomina foem. quum non statim sequitur praefix. viderique habere significationem adverbialem. ex. gr. ܠܐ ܚܝܬ ܢܚܬ ܠܫܝܘܠ Non *vivus* descendit in infernum. „ (*Ephraemi* Opp. T. I. p. 266, F.) Dicitur de viro.

ܡܬܢܝܫܐ ܒܨܝܕܢ sub Sidonis imagine repraesentatur.,,[39]
Tandem in Conjugatione Passiva Ethpahal saepe occurrit, semper vero, in participio ; quod est significatu vel *activum* vel *passivum* , et *typum* exprimendi vim semper habet. Significationis *passivae* exempla haec habe ex *Ephraemo* , qui de baltheo Sacerdotis Magni haec tradit; ܒܗܢܐ ܡܬܢܝܫ ܐܣܘܪ ܚܨܐ ܕܟܐܢܘܬܐ " hoc *designatur* cingulum justitiae . ,, [40] De nonnullis animalibus immundis , (de quibus omnibus allegorice agit ,) asserit fures in ipsis *repraesentari* ܒܗܘܢ ܡܬܢܝܫܝܢ ܓܢܒܐ [41] . *Activae* vero significationis documenta haec sint . " Homo coecus ܡܬܢܝܫ ܒܗܘ ܘܣܡܐ eum *repraesentat* qui animae oculis captus est . ,, [42] " Mensis igitur ܒܥܡܢܘܐܝܠ ܡܬܢܝܫ ܡܬܢܝܫ Emmanuelem *designabat*.,,[43]
Plura ex eodem excerpere possem T. I. pp 230 , D. 268, C. 276, A , B , C. (bis) 282, D. 290, D. 309, C.

ܢܝܫܐ

Confusa multa et immixta de hac voce habet Castellus , quae omnia in ordinem redigere , meum non est , ea vero quae praetermisit supplebo .

Scopum seu *finem* significare recte monet *Michaelis* , et exempla adducit, quibus alia adjungere possem.

(39) T. I. p. 113, A.
(40) Ib. p. 231, B.
(41) Ib. p. 241, D.
(42) Ib. p. 146, E.
(43) Ib. p. 250, D.

Sensu vero tantum non eodem, occurrit in *Jacobi* Edesseni *Expositione Liturgiae*, [44] ubi Sacerdos dicitur populo exponere ܠܟܠܗ ܦܘܚܡܐ ܕܡܕܒܪܢܘܬܗ ܕܐܠܗܐ " omnem *dispensationem* (*scopum* vertit Assemani) gratiae Divinae ,, sc. Creationem, Redemptionem etc.

Significat etiam *occasionem*, quem sensum ei tribuit Doctiss. *Assemani* locum *Zachariae* Melitensis interpretans, [45] et certe quidem vix alium sensum contextus pati videtur.

Aliquando *metrum* poeticum designat, unde carmen quoddam de *Aarone* dicitur ܒܦܘܚܡܐ ܕܡܪܝ ܐܦܪܝܡ ad *metrum* S. Ephraemi (heptasyllabice) conscriptum. [46] Quam eandem phrasin in titulo Carminis Anonymi nescio cujus in Cod. Vat. CLIII. (*not. nov.*) deprehendi [47]. Est etiam *regula*, (v. g. quam in scriptione sequuntur Amanuenses de *lineis* et hujusmodi caeteris,) quo sensu usurpatum saepius legitur in *Epistola Jac. Edesseni* infra integra danda ex Cod. Vat. CLIII. (*not. not.*) fol. 185.

Inter Grammaticos etiam ܦܘܚܡܐ ܕܢܩܙܐ sunt *puncta*. *Jacobus* Edessenus in Grammatica parva Syria-

(44) *Bib. Or.* T. I. p. 482, ima.

(45) Ib. T. II. p. 61, ima.

(46) Ib. T. II. p. 140, ima.

(47) Codex est ab *Assem.* nominatus, (*Bib. Or.* T. II. p. 499.) in secunda Commentatione describendus. En integrum titulum (fol. 202. *verso*) ܡܐܡܪܐ ܕܣܝܡ ܠܐܝܫ ܦܝܠܘܦܘܢܘܣ ܥܠ ܫܒܥܐ ܩܠܝܡܐ ܒܦܘܚܡܐ ܕܡܪܝ ܐܦܪܝܡ. ; " Carmen compositum a viro φιλοπόνῳ de *Septem Climatibus*, *metro* S. Ephraemi. ,,

ca, loquitur de Personis, Generibus, partibus Orationis, tandem de hisce *punctis*. 48 Quod si quis miretur *puncta* a Syris *nomina* vocari, audiat eundem sic ibidem asserentem ܡܛܠ ܕܫܡܗܐ ܩܪܝܢ ܣܘܪܝܝܐ ܠܢܘܩܙܐ ܐܡܬܝ ܕܠܥܠ ܡܢ ܡܠܐ ܡܬܬܣܝܡܝܢ ܘܐܢ ܦܫܝܛܐ ܘܡܪܟܒܐ ܗܘܝܢ ܫܒܥܣܪ ܐܘܟܝܬ ܡܫܚܠܦܐ ܢܘܩܙܐ: "Quia *nomina* appellant Syri *puncta* quando supra verba ponuntur, et sive simplicia sive composita XVII. varia *signa* sunt.,, Haec omnia enumerat in capite in quo data opera de iisdem tractat, ubi dicit ex his praesertim pendere linguae elegantiam ܫܘܟܠܠܐ ܘܫܘܦܪܐ ܕܡܡܠܠܐ. Eadem phrasi utitur etiam *Thomas Diaconus*, cujus *Tractatus de Punctis*, grammaticam *Jacobi* in laudato codice sequitur.

Tandem, quod nostra maxime interest *symbolum* non minus denotat. Audi *Ephraemum*: Aaron iterum manum elevavit cum virga ܢܝܫܗ ܕܙܩܝܦܐ crucis *symbolo*.,, 49 ܟܠܝܠܐ ܢܝܫܐ ܕܙܟܘܬܐ "Corona *symbolum* victoriae.,, 50 Nec aliter ab eo adhibetur, T. I. pp. 214, F. et 219, E.

✠ ܦܣܘܩ

Potius ad Castellum emendandum, quam ad cau-

(48) Ib. Fol. 188, verso. Inscribitur ܡܛܠ ܢܘܩܙܐ. V. Cl. *Assem.* ubi sup.

(49) T. I. 208, C.

(50) Ib p. 231, B.

sam meam confirmandam, vocem istam hic pono, sed veru jugulante obductam. Ipse enim reddit, *figuravit*, *similem fecit*; nullo, ut in rarioribus verbis solet accidere, adjecto exemplo; posset ergo aliquis, specie seductus, ei *symbolum* seu *figuram* constituendi, vim tribuere. Sed vocem bis in *Ephraemo* inveni, utrobique in participio; neque vero, quantum judicare licet ex contextu, *transitive* adhibetur, sed, eodem prorsus modo quo solet Arab. شبه, [51] ut *similitudinem* denotet. Postquam Christum *adumbratum* Abrahami sacrificio, dixerit S. Doctor, quatenus aves divisae non fuerint, ait, Ipsum etiam ܡܕܡܝ ܗܘܐ ܠܫܘܦܢܝܢܐ " *similem fuisse* turturi. „ Sed tamen videtur insinuare, ut legenti patebit, Turturem Christi *typum* in se continuisse. [52] In loco altero, qui subobscurus est, dicitur, ni fallor, Josephi aspectus " ejus conditioni *similis fuisse* „ (*correspondisse*) quum ad principatum AEgypti promotus fuerat. [53]

ܡܘܫܠܐ

Ad vocis istius radicem supplementum aliquod infra dabo. Post alias significationes exemplis confirmatas apud Castellum, has video, *significatio*, *sensus*, tanquam adjectamentum quoddam appositas.

---

(51) Vox scilicet ista in versione Arabica Ni Ti ad similitudinem seu parabolas inducendas saepius adhibetur; v. gr. Mat. VII, 24, " Quicumque audierit verbum meum, et fecerit illud, يشبه رجلا حكيما similis erit viro sapienti „ etc. ita v. 26, etc.

(52) T. I. p. 163, C.

(53) Ib. p. 99, A.

Saepe igitur usurpatur de *verbi significatione*, cujus exemplum supra invenies in adnot. 23, ad hunc parag. Ita pariter ab Interpretibus adhibetur de *sensu loci* alicujus in Auctore, quem explicant; quibus familiares sunt phrases ܣܘܟܠܐ ܩܕܡܝܐ *sensus primus*, 54 ܣܘܟܠܐ ܐܚܪܢܐ *alius sensus* seu *interpretatio*. 55

Hinc ad res, alias *typice significantes* transfertur, poniturque παραλληλως τῳ ܪܐܙܐ (de quo infra relata consule) : cujus rei exemplum habemus apud *Ephraemum* T. I. p. 263, E, ubi *ter* hoc sensu ponitur. Nec secus adhibetur ab eodem asserente ܬܘܪܐ ܣܘܟܠܐ ܕܢܒܝܐ ܘܕܫܠܝܚܐ ܘܕܡܠܦܢܐ " Boves *typum* fuisse Prophetarum, et Apostolorum et Doctorum. „56 Neque alium sensum pati posse videtur in ejusdem T. I. p. 289, B.

ܦܠܐܬܐ

In Lexicis est *parabola*, *allegoria*; et *Bar Bahluli* a Castello citato si qua fides, de solis parabolis ex *creaturis rationalibus* desumptis adhibetur. Sed hac in re certe fallitur; nam *Ephraemus*, inter Syros puritate sermonis certe nulli secundus, parabolam de *vinea* a Christo prolatam 57 ܦܠܐܬܐ ܕܟܪܡܐ appellat,

(54) Ib. p. 270, B.
(55) Lo. cit. et p. 267, A.
(56) Ib. p. 268, C.
(57) Mat. XXI. Lu. XX.

58 unde patet Castellum hac in re esse corrigendum.

Ab Allegoria ad *symbolum* facilis transitio; unde mirum non est vocem istam non raro hoc sensu occurrere, qui in Lexicis hactenus desideratur, quem vero sequentia exempla illi vindicabunt. " Judaeorum nausea (quae est stomachi corruptio) ܦܠܐܬܐ ܕܛܘܥܝܝܢ *symbolum* est erroris. ,, 59 Exemplum aliud suppeditabit idem *Ephraemus* T. III, p. 157, D.

Eodem sensu usurpata vox legitur in titulo operis cujusdam, illius Clari Doctoris, *Jacobi Sarugensis*, qui de Miraculis Christi ܕܐܬܘܬܗܘܢ ܦܠܐܬܐ ܕܐܣܝܘܬܗ ܕܥܠܡܐ quae mundi sanationis *typi* erant, homiliam metricam conscripsit. 60

✠ ܦܠܐܬܐܝܬ

Liceat mihi ad supplementum Lexx. hoc adverbium hic inserere, quod semel notavi in *Ephraemo*, 61 de quo tamen dubito utrum *allegorice* an vero *typice* sit reddendum. *Allegorice* certe sonat apud *Barhebraeum* in Cod. cit. fol. 5. verso. Probabile tamen est, adverbium in utraque significatione sequi nomen: dubii interim notam apposui.

✠ ܦܢܝ ܠܦܘܬܐ

Idea, *simulachrum*, pec. *prototypus*. Ita Castel-

(58) T. I. p. 260, D.
(59) Ib. p. 257, A.
(60) *Bibliot. Or.* T. I, p. 321, No. 120.
(61) T. I. p. 269, E.

lus, nullo adjecto exemplo. Semel, quod memini, verbum inveni, et ideo hic posui (sed obelo jugulatum) quia video ab aliis *typi* significationem ipsi obtrudi, quum tamen ex contextu loci pateat *prototypum* reddi debuisse. Locus, igitur, est Ephraemi, qui ait "Foederis Tabernaculum locum daturum fuisse ܠܥܕܬܐ ܗܝ ܕܐܝܟ ܛܘܦܣܐ ܡܫܡܠܝܐ ܡܩܘܝܐ ܠܥܠܡ Ecclesiae illi quae tanquam *prototypus* perfectus in aeternum erat mansura;" [62] cujus Ecclesiae Tabernaculum *typum* dicit. Si vero per ܛܘܦܣܐ *typus* (*Coelestis Tabernaculi*, ut perperam addit Latinus Int.) intelligendus, dixisset Tabernaculum Hebraeorum *typum typi* fuisse constitututum!

✠ ܦܪܨܘܦܐ

A Graeco πρoσωπον, et sensus huic respondentes habet. Praeter usitatos hos inveni. Est igitur, etiam *ficta species*, fosan *larvam* melius diceres, quo sensu occurrit in *Abdjesu* carmine de *Sulacae* morte, [63] cujus occisionem *Amidae* praesidi persuasisse dicitur *Barmama*, "fraudulentis rationibus ܒܦܪܨܘܦܐ ܕܛܒܬܐ sub bonarum *specie*" (latitantibus).

Sed ideo vocem istam huic meo specimini inserui, quod videam significare gerentem alterius *personam* seu *typum*. Manifestum exemplum praebet saepius laudatus *Ephraemus*, qui quum Christum in carbone Isaiae labiis admoto [64] figuratum censeat, Pro-

(62) Ib. p 223, D.

(63) *Assem. Bib. Or.* T. I. p. 531.

(64) Isaias VI.

phetam ܦܪܨܘܦܐ ܕܝܠܢ *figuram* nostri [65] fuisse autumat (seu nostri personam gesisse) . Fateor vocem vix de *re insensibili* dici potuisse , unde eam obelo signandam curavi ; sed ideo pono , ut divitem linguam Syriacam ostendam , ubi eam pauperem Horneus jactat .

ܦܫܩ ܐܬܦܫܩ

Exponendi notionem quam praebet vox ista sequitur illa , *symbolice* repraesentandi , quam solam habere potest , in *Ephraemi* ad Exodum commentario ; qui , quum omnia quae Tabernaculum ejusque ornatum respiciebant *mystice* explicet , tandem de Corona seu κυματίῳ [66] mensae sacrae ambitum cingente asserit ܠܥܡܢܘܐܝܠ ܡܬܦܫܩ ܒܗ̇ " Emmanuel in ea *typice repraesentatum* fuisse . „ [67]

ܨܪ ܐܬܬܨܪ

Verbum ܨܪ a Castello sic vertitur, *formavit* , *pinxit* . Adjugendum , *typice repraesentavit* , idemque passive de Ettaphel ponendum . Hac significatione nihil magis frequens in Scriptoribus Syriacis : en luculentissima exempla ; " Meteorum igneum per divisum Abrahae sacrificium pertransiens ܠܡܫܝܚܐ ܡܢܗܪܢܐ ܨܐܪ Christum Illuminatorem *symbolice* exhibebat . „

(65) T. II. p. 30, D.

(66) V. *Relandum* , *De Spoliis Templi Hieros. in arcu Titiano Romae conspicuis* . Traj. ad Rhen. 1716, p 76.

(67) T. I. p. 229, A.

68 " Jacob *figura* exprimit (ܪܐܙܐ) populum fidelem. ,, 69 " Rebecca ܪܐܙܐ ܕܥܕܬܐ *repraesentat* nobis Ecclesiam.,, 70 " Pavone ܪܐܙܐ ܕܓܝܘܪܐ *adumbrantur* moechi. ,, 71 Haec *Ephraemus*; quem etiam consule pro eadem voce eodem modo adhibita T. I. pp. 104, F. 110, B. 118, B. 171, E, F. 201, F. 223, F. 227, F. 229, B (bis). 230, A, D, E. 237, C. 240, A. 241, A. 244, A, B. 251, F. 254, A. E. 255, A, B. 263, B. 266, B. 268, C, E. 273, A, 275, F. 276, D. 282, C. 283, C. 284, B. 288, F. 289, B.

Jacobus Sarugensis eandem vim voci tribuit. Sic v. g. habet; " Occisio Domini ejusque crucifixio ܪܐܙܐ ܩܛܠܗ *typice* ibi exhibebantur. ,, 72

Nec dissentit *Edessenus*; sic enim ipse; " Hoc modo Melchisedec ܪܐܙܐ ܗܘܐ *figuram gerebat* ejus qui a Prophetis erat praedictus. ,, 73 Cf. eund. in *Ephr. Opp.* T. I. p. 171, E, F. et alibi passim.

ܪܘܫܡܐ

Imago, *figura*; etiam in sensu quem investigamus.

" Repraesentabant ܐܝܟ ܕܒܪܘܫܡܐ veluti *in figura* ....

---

(68) *Ephraem.* T. I. 163, A.
(69) Ib. p. 176, E.
(70) Ib. p. 177, B.
(71) Ib. p. 276, F.
(72) Ib. p. 243, Bis terve vox repetitur.
(73) Ib. p. 159, F.

abjectionem Judaici populi. „[74] Correspondet scilicet Arab. صورة. [75]

Habet pariter vox ista significationem Lexicis ignotam, scilicet *textus* praesertim *Sacri*; ad quem exprimendum aliquando plene dicitur ܨܘܪܬܐ ܕܟܬܒܐ, ut in titulo Commentariorum *Barhebraei*, et in *Ebedjesu* Catalogo, [76] saepius vero simplicius ܨܘܪܬܐ, quemadmodum *Ebedjesu* saepe scribit; qui inter *Babaei* opera enumerat ܦܘܫܩܐ ܕܟܠܗ ܨܘܪܬܐ, Expositionem totius *Scripturae*, [77] idemque fere de *Paulo Nisibeno* habet. [78] Quem verbi istius usum non intelligentes *Hottingerus* et *Ecchellensis*, reddiderunt *figuratum* dicendi genus Scripturarum, vel *tropologiam* vel hisce similia; unde merito a Cl. *Assemani* hac in re castigantur. [79]

Habet Castellus vocem ܨܘܪܛܦܣ, cui, cum verbo ܨܝܪ juncto, *praefigurandi* notionem tribuit, citatque *Severum*. Compositio verbi satis clara, sed errorem in orthographia suspicor.

---

(74) *Jac. Edess.* ubi supra p. 173, F.

(75) Vide *Jo. Dav. Michaëlis* (*Introd.* etc. ut supra, T. IV. p. 239,) *Frid. Car. Rosenmüller* (*Scholia in Psal.* 2a Ed. Vol. 2. p. 1075.)

(76) In *Assem. Bib. Or.* T. III. p. 325.

(77) Ib. p. 97.

(78) Ib. p. 87.

(79) In notis ad loca cit.

ܨܘܪܬܐ

Non solum *imaginem* seu *simulachrum* designat, sed, obvia statis translatione, pro *imagine typica* non raro usurpatur. Ita *Ephraemus*, rubum quem vidit Moses, ait " fuisse Dei Vivi *symbolum* quum

ܠܐ ܣܦܩ ܕܢܗܘܐ ܡܢܝܗܘ ܨܘܪܬܐ ܠܐܠܗ̈ܐ ܡ̈ܝܬܐ

non aptus esset ad *typum* Deorum mortuorum constituendum.„ [80] Vix aliter adhibetur T. I. p. 283, C.

Adstipulatur Severus Monachus, in fragmento *Epistolae* illius *ad Solonem*, quod supra citavi; " Ut sint „ inquit ipse " quae in Angelorum ad Abraham missione evenerunt ܨܘܪܬܐ ܕܗܠܝܢ ܕܐܝܟ ܕܒܫܪܪܐ ܡܣܬܟܝܢ ܠܢ *figura* eorum quae a nobis in *veritate* sperantur. „

ܪܐܙܐ , ܐܪܙܐ

In Lex. Castelliano (ut et in Schaafiano omnia inde transcribente) annectuntur significationes istae, *secretum*, *arcanum*, *mysterium*. Semper, credo, in N. F. libris Graeco μυςήριον respondet. Sed hisce sensibus alius adjungendus, scilicet, *figura*, *typus*: et iste voci huic Aramaeae ita est proprius, ut inde verbo Graeco a Scriptoribus Sacris per *Syriasmum* tribuatur. Hoc optime vidit Lexicographorum N. T. longe praestantissimus *Jo. Fried. Schleusner*, [81] qui ad *Ephraemi* Syri Opera provocat.

Hoc nimirum sensu usurpatur utrumque vocabu-

---

(80) T. I. p. 201, F.

(81) *Lexicon* etc. T. II. p. 178.

lum, et Graecum et Syriacum apud Paulum, qui conjugale vinculum, μυστήριον (in versione Syr. ܐܪܙܐ) id est *symbolum* appellat indissolubilis illius amoris, quo Christus Ecclesiae suae conjungitur. [82] Eundem sensum habet utrumque in Apoc. XVII. 5. 7. Ibi enim sermo est de *Meretrice* quae, ut mos erat, [83] nomen fronti appensum gerebat; quum vero hujus nomen non *verum* sed *typicum* esset alius civitatis, hinc nomen hoc μυστήριον seu *symbolum* dicitur. Hinc in priore loco ponitur pro μυστηριώδης, ut sit, *nomen mysticum*, *symbolicum*: nam *nomen* Mulieris fronti inscriptum certe τὸ *Mysterium* non erat, sed *Babylon Magna*; hoc enim solum *nomen* est. Haec ideo adnotavi quod videam absurdissimam calumniam in Catholicam Religionem, jam ante a *Jacobo* I, Angliae Rege, a *Downham*, *Scaligero* et *Polo* [84] ex prava hujus loci interpretatione excogitatam, in Opere nuper in Anglia edito, fuisse instauratam. [85] Tamen doctissimi inter Protestantes Commentatores, qualis certe *Jo. Godof. Eichhorn*, [86] vocem μυστήριον a no-

---

(82) Ephes. V. 32.

(83) Ita *Seneca* (*Controv.* I, 2.) " Stetisti puella in lupanari.... *nomen tuum pependit a fronte*, pretia stupri accepisti. " et *Invenal.* (*Sat.* VI. 123)

" Tunc nuda papillis,
Constitit auratis *titulum mentita* Lyciscae. "

Quamvis locus iste alium sensum pati posset, et forte magis recte.

(84) V. *Poli Synops. Criticor.* T. V. col. 1839. cujus verba Critico prorsus indigna pudet hic referre.

(85) In *Jenning. Jewish Antiquities.* Ed. nov. Lond. 1823. T. I. p. 185.

(86) In *Comment. in Apocalyp.* Gotting. 1791. T. II. p. 206.

mine Mulieris sejungendam, et *symbolum* reddendam recte cogitarunt. Unde certe voci ܪܐܙܐ etiam in versione Peschito restituenda significatio *symboli* seu *figurae* quae deest in Lexicis. Sed si Scriptores Syros evolvamus, innumera loca statim inveniemus, in quibus nullum alium sensum patitur.

Ita apud *Ephraemum* Noe dicitur fuisse ܪܐܙܐ ܗܘܐ ܕܡܫܝܚܐ "*figura* Christi.„ [87] " Omnes liberatores qui in populo Israëlitico surrexerunt, ܪܐܙܗ ܗܘ ܗܘܘ ܕܗܘ ܦܪܘܩܐ ܪܒܐ *figura* fuerunt illius magni Liberatoris.„ [88] "Agnus paschalis ܪܐܙܐ ܕܡܪܢ ܗܘܐ *typus* Domini erat.„ [89] Sed, ne infinitus sim, eadem vox, eodem sensu usurpatur T. I. pp. 108, E. 177, E. 201, F. 213, A (ter quaterve) 217, F. 219, C. 222, F. 228, D, F. 229, A, B, (ter) C. 230, A, D. 231, B, (bis) D, F. 233, C, E, F. 236, D. 243, B. 244; A. 250, C, (bis) 253, B, (ter) 254, A, (bis) B, (ter) C, (ter) E. 256, B, D. 259, B, C. 260, D. 261, C. 263, E. 265, B, E. 266. B. 267; A, B, C, (bis), D, E. 268, D, E. 269. E, (bis). 271, C. 275, E. 278, E. 282, C. 283, B. 287, E,, 289, A, C, (bis) E.

Opus est, ut alia omnia ejusdem Auctoris ingenio et eruditione spectabile, sed in totius interpretationis fundamento infirmum et minus solidum, in suis partibus vero paradoxis et falsis opinionibus refertum. Hanc loci interpretationem viderant jam inter Catholicos *Menochius*, *Gagnaeus* (*Scholia in Epist.* et *Apocal.* Paris. 1633.) aliique.

(87) T. I. p. 153, A.

(88) Ib. p. 110, B.

(89) Ib. p. 213, A.

Eodem sensu, quo *Ephraemus*, passim hanc vocem usurpant alii scriptores. Sic saepius *Jacobus Sarugensis* in Cap. XIV. Levitici: 90 ait, v. g. " Ut in his duobus ܪܐܙܘܗ̇ ܕܡܪܢ figura Domini praedicaretur.,,

Ita et *Jacobus Edessenus*, puritatis Syriaci sermonis praecipuus instaurator, ex quo exemplum invenies in T. I. Opp. *Ephr.* p. 171, E.

Tandem doctissimus inter Syros Grammaticus et Philologus, *Gregorius Barhebraeus* eandem vim verbo ܪܐܙ tribuit. Sic, ut plura ommittam, in *Thesauro Arcanorum*, locum Exodi XV. 25, exponens, animadvertit lignum illud quo amaritudo aquae sanata est, fuisse ܪܐܙ ܨܠܝܒܐ *figuram* sc. Crucis. 91 Ita etiam in Levitici XIV 92 *septies* vocem nostram eodem sensu ponit, immo alibi *undecies*, spatio undecim linearum. 93

ܪܐܙܢܝܐ

Adjectivo huic, quod omnino exulat a Lexicis, eadem vis tribuenda; *symbolicus* enim, seu *typicus* reddendum est. Sic apud *Ephraemum*, Deus dicitur " impositionem manuum (Sacerdotium) Mosi contulisse ܒܥܕܬܐ ܗܝ ܪܐܙܢܝܬܐ in Ecclesia illa *typica*,,, scilicet in Synagoga. 94 Ita et p. 309. B.

(90) Ib. T. I. p. 243.
(91) Cod. Vat. CLXXI. (*not. nov.*) fol. 36. *verso*.
(92) Ib. fol. 40. *recto*.
(93) Ib. fol. 13. *verso*.
(94) T. I. p. 227, D.

ܐܪܙܢܐܝܬ

Adverbium pariter desideratur in Lexicis, et *typice* etc. sonat. Exemplum sit ex eodem Ephraemo, qui Pontificem Max. Judaeorum asserit in pectore gesisse *rationale* ܐܪܙܢܐܝܬ ܕܗܘ ܕܝܢܐ ܕܚܝ̈ܐ ܘܡܝ̈ܬܐ " *typice* Judicis vivorum et mortuorum.,, 95 Eadem vox occurrit pp. 229, B. 467, B.

ܪܡܙ

Apud *Schaaf* pro verbi hujus significationibus habes; " Annuit, indicavit, designavit aliquid, *oculis*, *manibus*, *pedibus*.,, 96 Fere eadem invenies in Castelliano Lex: omniaque loca tam ex Veteris, quam ex Novi Foederis Libris adducta, signa vel *oculis* 97 vel *manibus* 98 praebere indicant. Sed latius certe patet verbi significatio; est enim et *rem* aliquam *insinuare*; sic *Ephraemus*, postquam nonnulla quae expresse non asseruntur in SS. LL. per inductionem collegerit, adjungit ܐܝܟ ܕܪܡܙܐ ܟܬܒܐ " ut *insinuat* Scriptura.,, 99 Ita et Barhebraeus explicans Gen. III. 14, sic per inductionem arguit; ܗܘ ܪܡܙܐ ܕܡܗܠܟܢܘܬܐ ܕܥܠ ܐܪܒܥ ܗܘܐ ܚܘܝܐ " hoc *insinuat* quadrupedem antea fuisse serpentem.,, 100 Hinc oritur alia significatio quae ad rem nostram fa-

(95) Ib. p. 231, E.

(96) Haec ad verbum ex *Buxtorfii Lex. Chald.* col. 2264. transcripta sunt.

(97) Cf. ex. gr. Ps. XXXV, 19. Job. XV, 12. In Targumim fere semper Hebraico קרץ respondet verbum Chald. רמז.

(98) Cf. Lu. I, 62. V, 7. Jo. XIII, 24.

(99) T. I. p. 239, F.

(100) Ubi sup. fol. 6. *recto*.

cit, rem *typice adumbrandi*, seu *insinuandi*. Hujus novae significationis (quae ab Arab. رمز *allegorice locutus est* vel *scripsit*, confirmatur) documenta haec accipe. Omnes animalium partes in sacrificio seponendas *mystice* explicans Ephraemus, verbis utens de quibus jam disserui, de adipe renibus obducto asserit quod sit ܠܡܫܡܫܘܬܐ ܕܢܦܫܐ ܪܡܙ ܘܠܙܘܥܗ ܕܡܕܥܐ "actionem animae intellectusque motus *typice repraesentans*." [101] "Vaccae rufae mactatio ܢܟܣܬܐ ܕܦܪܬܐ ܕܣܘܡܩܬܐ ܪܡܙ ܗܘܐ mysterium occisionis Christi *symbolo* designabat." [102] Non aliter usurpata vox occurrit T. I. p. 240, B. Hinc oritur nomen,

ܪܡܙܐ

Nutum ordinarie significans, quo sensu habetur in pulchello B. Virginis ad infantem Filium lallo, in *Breviario Syriaco Feriali* p. ܟܝ Ed. Rom. 1787: nam nulla exempla Lexx. suppeditant. Inde pro *Dei nutu* seu potius pro ipso *Numine* absolute ponitur. Sic legimus in Epigraphe Cod. Vat. XVII. (nunc XVIII) ܒܥܘܕܪܢܗ ܕܗܘ ܪܡܙܐ ܡܩ "ope Sanctissimi *Numinis*," ut interpretatur Cl. et Doctis. Assemani, [103] Eundem fortasse sensum habet apud Barhebraeum Geneseos primum Caput (v. 4) commentantem, [104]

(101) T. I. p. 232, F.
(102) Ib. p. 241, A.
(103) Citat. in, *Ni. Ti Versiones Syriacae .... denuo examinatae a Jac. Geor. Christiano Adler.* Hafniae 1789, p. 24.
(104) Ubi sup. fol. 2. a tergo.

Tandem significationem habet, illi quam radici vindicavi analogam, ponitur enim pro *typo*, nisi me fallat locus in *Barhebraei* Commentario ad Lev. XIV. 6, ubi *typum* Christo a *Jacobo Edesseno* applicari sic asserit ܠܐܡܪܢ ܢܩܫ ܠܗܘܢ ܘܪܐܙܐ. [105] Cui interpretationi adstipulantur et vox Arabica رَمْز, seu رُمُز quae *Allegoriam* significat, et adverbium ܒܪܐܙܐܝܬ quod *mystice* sonat, quo sensu in titulo Ps. XLVI. adhibetur.

ܪܐܙ, ܐܬܪܐܙ.

Vulgatis hujus vocis significationibus quae non egent confirmatione, adjungenda illa *typice exprimendi*. Hoc sensu passim adhibetur ab *Ephraemo*. " Columba a Noe emissa ܠܪܘܚܐ ܩܘܕܫܐ ܐܬܪܐܙ ܠܢ Spiritum S. nobis repraesentat. „ [106] Quum Jacob, manibus commutatis, filiis Joseph benedicebat, ܗܪܟܐ ܓܠܝܐܝܬ ܐܬܪܐܙ ܕܨܠܝܒܐ, " hic manifeste *Symbolum* exhibebatur crucis. „ [107] Et cum ܠܐ: " Sanguine qui auribus aspergebatur, ܠܐ ܡܬܪܣܣܐ ܕܒܕܡܐ ܐܕܢܐ ܪܐܙ Sanctitatem perfectorum *typice designat*. „ [108] Alia

(105) Ib. fol. 40, recto.
(106) T. I. p. 149, F.
(107) Ib. p. 144, F.
(108) Ib. p. 233, A.

exempla invenies ejusdem usus, pp. 150, B, (bis). 213, A. 232, D, E. 233, D. 241, A. 245, F.

Confirmat hanc notionem *Jacobus Sarugensis*, supra jam saepius citatus, qui sanguinem in leprosi mundatione super aquas sparsum, *typum* Baptismi fuisse ait, ܡܪܡܙܢܘܬܐ ܕܥܡܕ.[109]

ܪܡܙ

A Castello explicatur, *significavit*, *signum dedit*. Sed haec, et alia quae promit, videntur de solis *personis* praedicari, nec, puto, alium sensum loca quae affert patiuntur. Sed et de *rebus* ponitur.

Usurpatur enim sensu grammaticali, de *significatione* verborum. Sic *Jacobus Edes*. " Nomen hujus Melchizedec ܡܪܡܙ *significat*, Rex et Justus.,,[110] Alia afferre possem si necessarium esset.

Ponitur etiam passim de *symbolica repraesentatione*. Ex *Ephraemo* exempla haec sunto; ܚܘܦܪܐ ܠܚܘܒܐ ܡܪܡܙ "Vitta amorem *repraesentabat*.,,[111] " Aures in Sacerdotum consecratione sanguine aspersae, obedientiae et docilitatis ܡܪܡܙܝܢ *typi erant*.,,[112] Cf. eundem T. I. pp. 227, D. 228, D. 231, A, D. 232, C, E. 237, B. 238, B. 240, C. 247, C. ubi cum ܠ

(109) Ib. p. 243.
(110) Ib. p. 159, F.
(111) Ib. p. 231, B.
(112) Ib. p. 233, B.

construitur, (ut et 282, C.) 255, A. 283, B, D. Similiter adhibet *Jacobus Edess.* " Melchizedec ܡܣܘܟܠܢܘܬܗ ܗܘܐ ܠܡܫܝܚܐ Christi figuram gerebat . ,, [113]

ܣܘܟܠܐ ، ܣܘܘܟܠܐ

Vocem istam ponit Castellus, redditque, *significatio*, *symbolum* : sed exempla nulla affert. Vocem utroque quo dedi modo scriptam inveni in *Severi Antiocheni* Operibus. Explicans ille I. Sam. X. 6. haec habet ; " Regina Sabae ܣܘܟܠܐ ܐܝܬܝܗ̇ ܕܥܕܬܐ *typus* est Ecclesiae . ,, [114] et de Angelis ad Abraham misis ܐܘ ܟܝܬ ܕܗܢܘܢ ܬܠܬܐ ... ܣܘܘܟܠܐ ܕܬܠܝܬܝܘܬܐ ܩܕܝܫܬܐ ܣܡܘܢ " Etenim illi tres *figuram* SS. Trinitatis repraesentabant . ,, [115]

§. V.

Voces aliae quae a Scriptoribus Syriacis ad symbolum denotandum adhibentur.

At non solum tot verba habet Syriaca lingua ut exacte ideam *typi* exprimat, sed et alias loquendi formas adhibet quibus eam designet, quamvis non absque quadam ambage, vel minus proprio dicendi modo. Scilicet passim Syri dicunt, *rem unam in alia conspici*,

(113) Ib. p. 160, A. Vide etiam p. 173, D.
(114) Ib. p. 466.
(115) Cod. et loco cit. sub voce ܛܘܦܣܐ

hoc illius nomine vocari, nos ex uno eventu alium recordari, typo aliquo rem venturam praedicari; et quidem hujusmodi tot ac tam clara habent, ut vix quamvis aliam linguam talem copiam suppeditare posse, dixerim. Verborum igitur quae hoc modo adhibentur indicem hic attexere operae pretium duco, quin tamen exempla diserta semper annectam; quamvis enim talis loquendi usus non ex Lexicis, sed ex sola Auctorum lectione disci possit, tamen, post copiam verborum quam in Specimine superiori adduxi, haec, quae mox proferam, non tanti momenti judico. Hoc igitur modo adhibentur, praesertim ab *Ephraemo*.

ܚܳܪ, ܐܶܬ݂ܚܰܪ.

Contemplari; sc. dicimur rem unam (*prototypum*) in alia (*typo*) contemplari. [1]

ܚܙܳܐ

Videre, eadem ratione adhibetur; et quidem aliquando active,[2] aliquando vero, in voce passiva, ܐܶܬ݂ܚܙܳܐ.[3]

ܐܰܘܕܰܥ

Declarare: *Res una*, *aliam* nobis dicitur *declarare*, seu *symbolice repraesentare*: quo sensu usurpatur tam ab *Ephraemo*, [4] quam a *Jacobo Edess.* [5]

(1) T. I. p. 247, D.
(2) Ib. pp. 229, A. et 238, F. etc.
(3) Ib. pp. 219, E. 228, E. etc.
(4) Ib. p. 229, E.
(5) *Assem. Bib. Or.* T. I. p. 481.

ܡܠܦ

Didicit : ex gr. " In homine curvo ܡܠܦܝܢ , *discimus* (repraesentatum videmus) eum qui intuitum a coelo avertit . „ Ita *Ephr.* [6] quem etiam vide , pp. 283, F. 284, B.

ܩܒܠ

Appellavit ; Eodem modo adhibetur quo ܨܪܐ, quod infra vide . Exempla idem *Ephraemus* suppeditabit . [7]

ܨܪܐ , ܐܨܪܐ

In Aphel , *praedicavit* . " Bos Apostolos ܐܨܪܐ , *praedicabat* „ (praefigurabat) . *Ephr.* [8] Nec aliter utitur *Jacobus Sarugens* . [9]

ܣܟܠ , ܐܣܬܟܠ .

Intelligere . " In duodecim placentis duodecim Tribus *intelligimus* „ (repraesentatas cernimus) . *Ephr.* [10] quem cf. T. I. pp. 267, E. 283, E, F.

ܦܚܡ

Fusius de hoc vocabulo disputavit Cl. *Michaëlis* ad *Castelli* Lexicon , sed nonnulla omisit . Nam forsan non solum est *comparare* , sed et *comparatione typica* , si ita dicere liceat , *designare* . En exemplum

---

(6) T. I. p. 247, A.
(7) Ib. pp. 270, A, 274, C.
(8) Ib. p. 283, E.
(9) Ib. p. 243.
(10) Ib. p. 248, F.

ex *Ephr.* " Animalibus immundis ܡܚܘܐ ܘܡܦܫܩ *repraesentat* et *designat* eos etc. ,, [11] Sed p. 267, E. si vulgato sensu sumatur , idem fortasse designat .

ܩܪܐ

Appellare ; ܡܕܒܚܐ ܩܪܐ ܗܘܐ ܠܠܒܐ " Altare hic *appellat* cor; ,, i. e. Altaris nomine cor *significat* . [12] Ita *Ephr.* ut et T. I. pp. 275, A. 281, F. 282, D. 283, F. 284, A. 290, C.

ܫܡܗ

Idem, eadem plane ratione adhibetur, ut patebit legenti eundem , pp. 280, E, F. 290, F.

Vocabulis istis alias adjungere possem , quamvis non adeo expresse quod quaero significent ; adhibentur tamen eodem modo . Talia sunt , ܢܗܪ *illuminavit, ostendit* ; [13] ܐܬܕܟܪ *meminit* ; [14] ܦܪܫ *exposuit*. [15] Haec et alia , brevitati consulens , prudens omitto .

§. VI.

Praecedentium ἀνακεφαλαίωσις. *De usu loquendi Syrorum , quum de typis agunt .*

En igitur Linguae Syriacae divitias in *figuris* seu

(11) Ib. p. 241, F.
(12) Ib. p. 277, D.
(13) Ib. p. 283, E.
(14) Ib.
(15) Ib. p. 239, C. Exemplo satis claro.

symbolis exprimendis. Ac primo quidem satis spero demonstratum fuisse, quam inperfecta sint etiam praestantiora Lexica istius linguae, quot vocabula vel novis significationibus adornanda; vel in iis quae jam habent iterum ordinanda, aut exemplis confirmanda. Nam longe plus quam hisce vocabulis feci, etiam innumeris aliis facere possem, et spero me aliquando facturum. Quum enim linguam et litteras, quibus fateor me tantopere delectari, tam miserandae paupertatis postulatas audirem, idque in Theologorum foro; putavi mihi potius ad Philologos provocandum, apud quos aequiore jure talis actio datur, utpote qui de verborum vi et nexu decernendi jus sibi vindicent. Hinc *Supplementi* quod, post diuturnum tempus et acre studium in eo impendendum, molior, specimen pertenue, causae quam ago accommodatum, ab eaque limitatum, praebere statui, ea scilicet afferens ex schedulis meis, quae litem hanc plane dirimere posse viderentur; in quibus ea quae Horneum (quem raptim anno transacto percurreram) confutarent, majori sedulidate reposueram.

Sed ut clarius pateat falsitas accusationis; quae supra extensa dedi, accipe hic συνοπτικως disposita.

I. Voces quae apud *Castellum typum* significant, et idoneis exemplis illustrantur:

1. ܪܘܫܡܐ 2. ܐܬܛܦܣ 3. ܛܘܦܣܐ 4. ܛܘܦܣܢܝܐܝܬ

II. Vox ejusdem significationis, sed absque sufficienti exemplo:

ܡܘܕܥܐ (ܡܘܘܕܥܐ)

III. Voces quae *symbolum* designant, quamvis apud *Cast.* haec significatio non exprimatur:

ܪܟܡܙܐ 16. ܦܘܠܐ 11. ܣܘܡ 6. ܐܬܐ 1.

ܙܐܪܐ 17. ܦܠܐܬܐ 12. ܡܣܡܢܘܬܐ 7. ܚܙܘ 2.

ܙܡܙܐ 18. ܦܦܣ 13. ܣܘܦܢܐ 8. ܪܡܙܐ 3.

ܙܡܙܐ 19. ܪܘܙ 14. ܐܬܡܬܠ 9. ܪܘܡܙܐ 4.

ܙܦܣ 20. ܪܘܙܬܐ 15. ܢܣܐ 10. ܡܪܡܙܢܐ 5.

ܦܘܠ 21.

IV. Voces ejudem notionis, quae in *Castello* desiderantur:

ܙܐܪܢܐܝܬ 2. ܙܐܪܢܐ 1.

V. Voces quas non ita directe usurpant Syri, ad *symbolum* designandum:

ܦܪܣ. 13. ܦܦܟܘ 10. ܦܟܠ 7. ܣܟܦ 4. ܐܬܟܠܐ 1.

&c. ܢܘܙ 11. ܦܣܝܩ 8. ܕܠܫ 5. ܣܪܐ 2.

&c. ܐܬܟܘܢ 12. ܦܙܐ 9. ܐܬܙܢܐ 6. ܣܢܠ 3.

VI. Voces non adeo certae, quae tamen supra discutiuntur et aliquatenus illustrantur:

ܦܟܘ. 4. ܦܪܘܦܐ 3. ܐܬܦܢܐ 2. ܦܠܐܬܐܢܝܬ 1.

Omissis ergo hisce quatuor, habemus non vocem *unam* tantum, *figurae* seu *symbolo* exprimendo aptam, *quod absolute nobis negat Horneus*, sed ultra QUADRAGINTA voces, quae vel directe, vel saltem per periphrasin, ab optimae notae Scriptoribus Syriacis, ad

hoc luculentissime usurpantur ; ex quibus tamen vix una et altera in Lexicis, hoc sensu, inveniatur.

Ex his ergo satis diserte patebit, innumeris pene modis *potuisse* Salvatorem nostrum, lingua Syriaca utentem, hujusmodi propositionem enunciare, Haec est *figura* Corporis mei ; *potuisset* enim v. g. dicere, ܗܳܢܳܐ ܗܘ ܐܪ̈ܙ ܦܰܓܪܝ, ut de aliis typis habent exempla supra allata ; vel ܗܳܢܳܐ ܗܘ ܛܘܦܣܳܐ seu ܕܡܘܬܳܐ ܕܦܰܓܪܝ ut suggerit *Maruthas* infra laudandus ; vel tandem, ne fastidia eadem fere repetendo moveam, ܗܳܢܳܐ ܐܪ̈ܙ ܟܣܝܳܐ ܐܝܬ ܪ̈ܙ ܦܰܓܪܝ seu ܠܦܰܓܪܝ.

Christum ita dicere *potuisse*, meum praecipue erat demonstrare, hoc enim negat adversarius. Sed forsan et alia hic oriri posset quaestio quae Philologos respicit, utrum nimirum inter Syros, *ad quorum usum loquendi ipse provocat*, ita familiare sit, rem, illud *esse* asserere, cujus *typum* gerat. Hoc igitur assero meo periculo, nec contradictionem timeo, Syros, non solum plura vocabula habere ad symbolum designandum, quam quivis fortasse alii, sed *et nullius gentis auctores haec verba tam frequenter usurpare*. Solemne quippe est, Commentatoribus et Concionatoribus Syriacis etiam quum ܡܺܐܡܪ̈ܶܐ seu Homilias metricas conscribunt, verba *typum* designantia congerere, *etiam ubi data opera praemonuerint se mystice interpretari*,[1] et

---

(1) Sic *Ephraemus*, (T. I. p. 113, C.) postquam dixerit se de Jacobi benedictionibus *ad litteram* sumptis (ܡܫܰܘܚܠܦܳܐܝܬ)

ubi expresse symbolicos sensus curiosius perscrutantur; quum tamen *vix unquam verbo* EST, eodem sensu, adhibeant. Quod quidem facile quisquam sibi persuadebit qui eos legerit; et, ut specificum aliquod documentum proferam, inveniet *Ephraemum*, quamvis, ut dixi, monuerit lectores, se mystica sectari, hocque suis notum jam esset; [2] inveniet tamen, in Commentario ad librum Numerorum, *bis quaterve* verbo EST pro τῷ *designare* usurpantem, hocque semper, quum ex contextu vis vocis satis patet; e contra vero, *voces symbolum designantes*, *plusquam sexagies* adhibentem. Sic pariter in Commentario ad Deuteronomium, verbum substantivum *sexies* ponit, *typum* vero *ultra septuagies*. Idem de *Jacobo* utroque, et de *Barheabreo* audeo affirmare.

Deinde, ita vocem *est* devitant, in figuris exhi-

egisse, monet se tunc typice (ܛܘܦܣܐܝܬ) interpretarum. Sed tamen saepe voces quas dedi adhibet, ut *figuram* exprimat. Sic in Cod. Vat. CIII. (*not. novae,*) fol. 72. *verso*, initio Comentarii *Ephraemi* praemittitur [illegible] „ Sequitur modo *litteralem* sensum, modo vero *spiritualem* ; „ quod quidem monitum, si bene memini, *omnibus aliis Pentateuchi libris ab Ephraemo commentatis* praefigitur. (Pro [illegible] *Barhebraeus* adhibet [illegible]. *Prooem. in Exod.* fol. 25. Cod. Vat.)

(2) Vide *Ephraemi Vitam*, praemissam 3. Tom. *Ephr. Operum*, p. XXXIV. ima : (quamvis versio Latina in alia abeat :) dicitur enim *praetulisse* ([illegible]) sensus spirituales. Locus iste omittitur in *Assemani* Compend. (*Bib. Or.* T. I. p. 53.)

bendis, ut non solum quum ea utuntur semper in *Latina versione* poni possit et ponatur, absque ambiguitatis periculo;[3] sed ut et aliquando etiam ab Interprete το *est* adhibeatur pro *symbolo*, quum tamen in Syriaco, vocabulum *symbolum* denotans inveniatur.[4]

Tandem, saepe ita dense voces quas supra recensui conglobant et repetunt, ut pene fastidium lectoribus taediumque moveant, et versionem in aliam linguam pati recusent. Sic *Ephraemus* T. I. p. 254, A, seqq. *decem et octo* linearum spatio, verba quae tracto, *tredecies* repetit: ita p. 283, D. eadem *undecies* ponit, *septem* supra *decem* linearum spatio. Nec aliter *Jacobus Sarugensis*,[5] *tredecim* lineis, *decies* illa repetit: de *Barhebraeo* vero supra dixi[6]. Quid ergo ex his omnibus concludo? *Horneus* asserit linguam Syriacam, verbum *nullum* habere ad symbolum denotandum; e contra ostendi *quadraginta* circiter ipsam habere. *Horneus* asserit familiare esse Syris *est* ponere pro, *significare*; demonstravi vero minus hoc familiare Syris quam ipsis Latinis.

§. VII.

Tota quaestio ipsorum Syrorum judicio dirimitur,

Sed quid plura? Ad eos quibus lingua Syriaca vernacula erat, provocavit *Horneus*, eos igitur adeamus.

(3) Ut in Opp. *Ephr*. T. I. p. 237, F. 267, F.

(4) Vide inter alia ib. p. 254, A.

(5) Ib. p. 243.


(6) Sub vocibus ܛܘܦܣܐ et ܐܬܐ

Ipsos negat aliter potuisse panem, Christi Corporis *symbolum* esse, denotare, nisi illum ejus Corpus *esse* asserendo. Sed quid si ipsi Syri expresse distinguere quaerant *symbolicam* a *reali* praesentia? Deberent, juxta *Horneum*, iisdem phrasibus, pro utraque, se efferre. Ast hoc non faciunt. Audi, verbi gratia, *Dionysium Barsalibaeum*, virum certe non imperitum, cui Syriaca lingua vernacula, sic asserentem: ܐܠܐ ܡܬܩܪܝܢ ܘܐܝܬܝܗܘܢ ܦܓܪܐ ܘܕܡܐ ܕܐܠܗܐ ܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܒܫܘܪܪܐ ܘܠܐ ܛܘܦܣܐܝܬ. "Sed vocantur [1] et sunt Cor-

(1) Sic verto, potius quam *scimus* quod habet *Naironus*: (lo. citand.) ita enim melius sensus cohaeret, et familiaris est iste usus vocis ܐܬܩܪܝ. Exemplum unum et alterum suppeditat *Michaelis*. (ad *Castel.* p. 369.) Aliud praabet titulus praemissus *Thesauro Arcan.* cujus auctor dicitur *Gregorius* Patriarcha, ܕܡܬܩܪܐ ܒܪܥܒܪܝܐ qui *appellatur Barhebraeus*. Ad locum hunc allusi sup. p. 28, sub nomine *Joannis Maronis*, sub quo titulo datur a *Nairono*. Sed ostendit *Assemani* opus *Dionysio* restituendum. (*Bib. Or.* T. II. p. 177.) Codicem Vat. hujus operis vidi nunc CIII. ex quo locum sequentem, transcripsi. Primam partem jam dedit *Assemani*, (Ib. p. 190.) sed postrema verba omittens, quae tamen praeclarum continent testimonium. ܘܐܝܟܢܐ ܕܗܘ ܗܟܢܐ ܡܫܝܚܐ ܗܘܐ ܒܪܢܫܐ ܘܐܬܐ ܠܗܘܢ ܗܘܐ ܗܘܝܘ ܡܬܚܙܐ ܠܒܢܫܐ ܘܡܬܝܕܥܐ ܒܐܘܬܝܘܬܗܘܢ ܦܓܪܐ ܘܕܡܐ ܕܡܫܝܚܐ ... ܗܘܐ ܘܫܘܪܪܐ ܘܟܐܢܐ ܘܐܝܬܘܗܝ ܛܘܦܣܐ

pus et Sanguis Dei, Domini nostri Jesu Christi, *in veritate, et non symbolice.*,, [2] En igitur auctorem Syrum qui clare testatur se verba habere, quibus distinguat *realem* a *symbolica* praesentia.

Sed adhuc luculentiora videamus. Syri non solum clare insinuant posse se *existentiam* (si ita loqui liceat) a *symbolo*, suo sermone distinguere; sed et argumenta *pro reali Christi praesentia in Eucharistia* in hoc fundant, quod Christus non dixerit, Haec est *figura* Corporis mei, sed, Hoc *est* Corpus meum. Primus, quem in medium adducam, locus desumitur ex antiquissimis Ecclesiae Syriacae Constitutionibus, quas anno Hegirae 386, ex *Syriaco* in Arabicum sermonem, rogatu Abbatis cujusdam *Josephi*, transtulit *David* Archiepiscopus. Quamvis vero Arabico idio-



Hoc est: "Et quemadmodum ipse Jesus videbatur esse homo, et erat Deus, sic et ista videntur panis et vinum, et sunt Corpus et Sanguis.... Sic et altari (quod est *typus* Uteri et Sepulchri) quum illabitur Spiritus S., *transmutat* panem et vinum, et efficit ea Corpus et Sanguinem Verbi.,, Postremam textus partem (ut innui) non dedit Cl. *Asscm.* ideoque pono quod videatur (ib.) negatae Transubstantionis *Dionysium* insimulare, subobscuris nonnullis sententiis ductus, quum tamen quae dedi tam clara sint. Unde etiam castigandus *La-Crozius* qui eadem, alio tamen animo, repetit. (*Histoire du Christianisme d'Ethiopie et d'Armenie*. La Haie, 1739, p. 47.) Comparat altare *Utero* (B. Mariae) et *Sepulchro*, ob stupenda miracula in utroque quoad Christi humanitatem patrata. (Cf. hac de re *Ephraem*. T. III. p. 423, A.)

(2) *Jo. Maronis Commentar. in Liturg. S. Jacobi Ap.* C. XXXI. ap. *Naironum*, *Euoplia Fidei Cathol.* etc. Romae 1694, p. 161.

mate conscriptus maneat, tamen archetypo Syriaco fidele testimonium praebet. En igitur quae habentur, Capite septimo, quod de Eucharistia nuncupatur;

اعطانا اياه تقدست اسماوه لغفران الخطايا لما مثله به بل قال هذا جسدى ولم يقول هذا مثل جسدى .

Hoc est. " Dedit illud, sc. *Corpus*, (benedicantur nomina illius) in remissionem peccatorum, *nec profecto figura in eo*; *utique* DIXIT, HOC (EST) CORPUS MEUM, ET NON DIXIT, HAEC FIGURA CORPORIS MEI. „ [3] Si Horneus audiendus, bonus ille Syrus, qui hunc Canonem exaravit, lepide satis fuisset argumentatus! In Archetypo enim locus iste sic se habere debuisset; " utique dixit Hoc *est* Corpus meum, et *non* dixit, Hoc *est* Corpus meum; „ nam peritissimus ille nos monet, Syros non aliter *figuram* exprimere posse!

Sed alterum prorsus inexpugnabile testimonium praebet S. *Maruthas Tangritensis* Episcopus, qui, saeculo quarto quintum inducente, floruit. Sic igitur ipse in *Commentario ad Evangelia*, motiva institutionis SS. Sacramenti pandens: ܟܕ ܗܘܐ ܐܠܨ܆

ܘܐܦ ܡܛܬ ܥܕܢܗ ܗܘܐ ܡܢ ܥܠܡܐ ܕܦܨܚܐ ܗܘܝܐ

ܡܬܘܡܝܬܐ ܕܡܢ ܥܠܡܝܢ. ܐܠܐ ܗܘܦܟܐ ܦܠܚ ܐܡܬܝ

ܕܦܨܚܐ ܗܘܝܐ ܡܬܩܪܒܢܐ ܘܠܐ ܐܝܟ ܕܡܫܡܫܝܢ.

(3) Ib. p. 137: et paulo diverse in notis ad *Hebedjesu Catal.* ab *Ecchellensi* editum, Romae 1653. p. 147.

ܘܗܟܢܐ ܡܗܝܡܢܝܢ ܕܠܦܓܪܐ ܡܓܦܦܝܢ ܚܢܢ ܘܕܡܢ
ܒܣܪܗ ܚܢܢ ܘܡܢ ܓܪܡܘܗܝ ܐܝܟ ܗܝ ܕܟܬܝܒܐ.
ܐܦ ܓܝܪ ܡܫܝܚܐ ܠܐ ܩܪܝܗܝ ܛܘܦܣܐ ܘܕܡܘܬܐ: ܐܠܐ
ܕܫܪܝܪܐܝܬ ܗܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܦܓܪܝ ܘܗܢܐ ܐܝܬܘܗܝ
ܕܡܝ.

Scilicet; " Praeterea etiam privati fuissent communione Corporis et Sanguinis fideles posteriores; ,, (nisi hoc sacramentum instituisset)"sed nunc, quotiescumque ad Corpus et Sanguinem accedimus, et super manus nostras accipimus, sic credimus nos Corpus amplecti, et nos carnis ejus et ossium ejus (participes fieri), juxta id quod scriptum est. ENIMVERO *Christus illud non appellavit* TYPUM *aut* FIGURAM, *sed* (dixit); *Vere Hoc* EST *Corpus meum*, *et Hic* EST *Sanguis meus*. ,, [4] Haec verba, si omnia alia deessent, per se sufficerent ad prostrandum imbecille adversarii argumentum: non enim solum, verba suggerit quae *potuisset* Christus, Syriace loquens, adhibere, ad typum sui Corporis instituendum; sed et quae *debuisset*, si intelligi voluisset; indubie enim realem Praesentiam Corporis et Sanguinis Domini ideo asserendam concludit, quod Christus illud quod manibus tenebat, suum Corpus *esse* non illius *typum* declaraverit.

(4) *Assem. Bib. Or.* T. I. p. 179.

§. VIII.

Totius disputationis Conclusio et Applicatio.

Habes tandem, quidquid Syriaca dialectus, ad dirimendam Controversiam Catholicos inter et Protestantes, commodi afferre potest; quam quidem quum suam jactaret adversarius, pollicitus sum me ostensurum ipsam potius nobis impense favere, nec ut spero spes me fefellit. Ostendi enim 1. Syros plura fere verba habere quovis alio populo, ad symbolum exprimendum. 2. Ipsos verba haec quibusvis aliis crebrius usurpare. 3. Tandem ipsos Syros testes adduxi, qui asserant, Christum, typum sui Corporis instituere volentem, nunquam potuisse verba quae adhibuit, adhibere; nec ex illis verbis, si suorum loquendi usui standum sit, aliud praeter realem praesentiam posse concludi! En igitur exclusum ex hac sacra formula, omnem Syriasmum, omnemve Orientalismum: et verba (quantum *lingua* consulenda) eodem modo sumi debent, *ac si Latino sermone fuissent prolata*. Porro si *hoc* pronunciata fuissent; quis unquam somniasset *figuram* Corporis et Sanguinis denotari?

Ast familiaris est iste loquendi modus in Sacro Codice. Quo pacto? Plura scilicet loca congessit Horneus quae parallela appellat, ubi *est* ad figuram exprimendam adhibetur. Audio, - sed nec *unus* parallelus est. Quid? si, ubi *expresse figurae explicantur*, rei de qua agitur, symboli nomen applicetur, (et vix alius generis exemplum adducitur) etiam ibi, ubi nihil de symbolo praemonitum, nihil de parabolis cogitatum; absque causa, verba detorquenda et invi-

to prorsus contextu, ad alia deflectenda? Sed si verbum *est* aliquando figuram exprimat, centies vero, et millies in sensu obvio sumendum occurrat, quo jure pro parallelis habenda loca *illa*, *ista* vero rejicienda? Quodnam Hermeneuticae principium hoc docet, in verbo dubio determinando, ea omnia loca ut parallela adduci posse in quibus *unum* sensum habet, nisi *specifica aliqua similitudo in aliis sententiae partibus deprehendatur, vel in loquentis aut agentis circumstantiis*? Haec enim omnia, et haec sola, verum parallelismum probant. Porro loca illa omnia quae, post alios, adduxit *Horneus*, *unica hac similitudine* cum textu nostro gaudent, quod, *aeque ac iste*, *vocem de qua dubium movetur*, *in se contineant*! " Quum aliqua similitudo (inter loca tanquam parallela adducta) animum ferit, animadverte primo, utrum loca sint satis similia; id est, *utrum non solum idem vocabulum*, *sed etiam eadem res in utroque correspondeat*, *ut secure de similitudine judicare possis*. „ Haec est ipsius Hornei regula de parallelismis dijudicandis.[1] Hinc loca illa, " Septem Spicae, septem anni *sunt*„ [2] et " Ager *est* mundus „ [3] pro parallelis, si lubet, haberi possunt; non quia eadem *vox* in utroque occurrit, sed quia eadem *res* in utroque enunciatur,

---

(1) Whenever the mind is struck with any resemblance, in the first place consider whether it is a true resemblance, and whether the passages are sufficiently similar; that is, *not only whether the same word, but also the same thing, answers together, in order to form a safe judgment concerning it.* T. II. p. 531.

(2) Gen. XLI. 26.

(3) Mat. XIII. 38.

scilicet, *rei symbolicae* (somnii et parabolae) *explicatio*. Sed, ut parallelismus inter haec et formulam, Hoc *est* Corpus meum, instituatur, ostendi deberet, etiam in hac, de *explicando symbolo* sermonem institui; neque, ut supra innui, [4] unquam Protestantes probabunt, loca illa et illis similia, quae sola urgere possunt, esse verbis institutionis magis parallela quam sunt illis Joannis, Deus ERAT verbum. Sed haec plenius discutienda, Theologis et Sacrarum Litterarum Institutoribus relinquo.

Hinc verba illa *nullo Orientalismo*, *nulloque parallelismo ad adversariorum mentem deflecti possunt*: quid ergo remanet? *Contextus*, ad quem provocat Horneus: sed ipsum ἑαυτὸν τιμωρούμενον hic, ni fallor, deprehendimus. Sic enim ille, de *Emphasibus verbalibus* agens, verba Mat. XXVI. 28., egregie explicat. " Unaquaeque fere syllaba in textu Graeco (praecipue vero *articuli*) insigniter emphatica est. Nam sic se habet, Τοῦτο γάρ ἐστι ΤΟ αἷμα μου, ΤΟ τῆς καινῆς διαθήκης, ΤΟ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

Hujusmodi translatio et paraphrasis ejus vim non excedit. *Hic est enim meus* ILLE *sanguis*, omnibus Judaicae legis sacrificiis praefiguratus, praesertim vero effusione et aspersione sanguinis Agni Paschalis, ILLE SANGUIS sacrificii pro ratificatione *Novi Foederis*, mactati; ILLE *sanguis*, mox *effundendus pro multitudine*, tam pro Gentibus quam pro Judaeis, in *remissionem peccatorum*, peccati sive originis sive actualis etc. „

(4) V. supra §. III. p. 15.

Sic ergo ipse Horneus verba ista reddit ! [5] cui quidem ad litteram, quantum licuit, presse in versione adhaesi. Porro, ex toto hoc contextu, quid sequi deberet ? nam, antecedentia et consequentia prorsus silent. Quis sibi persuadere posset, Christum, in ritu maxime sacro, sumpto in manus benedictoque Calice, quum omnium discipulorum ora in se defixa teneret expectatione alicujus magni mysterii, protulisse verba *maxime emphatica*, quibus, quod in calice continebatur, pretiosissimum suum sanguinem, *illum* sanguinem quem designaverant antiqua sacrificia, *illum* sanguinem quo Novum Foedus ratificandum erat, *illud* denique *ipsum* Redemptionis pretium declararet; et tamen nihil aliud voluisse innuere Apostolis nisi hoc ; *Vinum illud symbolum esse sui sanguinis*, puta, QUIA UTRUMQUE RUBRI COLORIS EST ! eodem modo quo *Eustathius*,[6] *Achilles Tatius*, [7] et *Plutarchus* [8] vinum rubrum, terrae aut uvae sanguinem appellant ! Audi enim *Wetsteinium*, inter Protestantium Commentatores nulli fere secundum ; " Facile quidem intelligimus, quomodo vinum *rubrum* possit significare sanguinem ; ,, citatque auctores modo nominatos ! [9] Haec risum stomachumve moveant vix scio, sed audi quae post allata verba subjungit ; " At non facile est intelligere, quaenam similitudo intercedat inter corpus humanum, et panem ? Responderi tamen po-

(5) T. II. p. 514.
(6) *In Iliad. β.* p. 234.
(7) L. II. p. 67.
(8) *De Iside et Osir.* p. 313.
(9) In Mat. XXVI. 28. p. 519.

test, *cadaver exangue*, quale est hominis in cruce mortui, *tam siccum esse quam panis*: deinde Corpus Christi, si mystice consideretur ut Caro sacrificii, alere mentem, ut panis corpus alit.,, Quis non videt quomodo se adversarii contorqueant ut sensum litteralem effugiant, ut emphatica illa verba ad figuras deflectant. Sed *contextum* nobis favere, patebit cuivis ipsos Protestantes legenti. Percurrat vel suspenso pede, qui commodum habet, Doctissimi inter ipsos viri *Jo. Godfr. Eichhorni* Commentationem de Verbis Institutionis, [10] quantam inveniet in interpretando licentiam, ut probabilem aliquem sensum, a nostro abhorrentem, Christi verbis affigat. Confugit ille ad fictum illud *Protevangelium* Hebraicum, ex cujus exemplaribus inter se invicem variantibus, supponit Evangelistas et Paulum narrationem de Eucharistiae institutione desumpsisse. Tunc statuit, in Pauli et Lucae exemplaribus *glossemata* nonnulla in textum irrepsisse, unde ipsorum narrationem castigandam dicit [11]. Nec adhuc satis; sed et Lucam conjicit non bene accurateque prototypum illum Hebraicum in Graecum transtulisse! [12] His tam solidis fundamentis jactis, vim verborum in formulis instituentibus ad examen revocat; innumera loca congerit confertque, quae nihil rem attingunt; tandem vero statuit, verba illa,

Τȣτο ἐϛι το σωμα μȣ,
Hoc est Corpus meum,

(10) *Ueber die Einsetzung - Worte des h. Abendmahls*, in ejusdem *Allgemeine Bibliothek*. Tom. VI. pp. 759 - 772.
(11) Ib. p. 769.
(12) Ib. p. 770.

aequipollere his,

Τϐτο ἐϛι ο ἀρτος τϐ σωματος μϐ,

Hic est panis Corporis mei,

quae tandem eundem sensum habent ac sequentia,

Τϐτο ἐϛι ὁ ἀρτος της διαθηκης δια τϐ ἐμϐ θανατϐ ἐγκαινισθησομενης.

Hic est panis Foederis, mea morte instaurandi.[13]

Ita ut Apostoli ex voce Σωμα *Corpus*, ideam ἀρτϐ της διαθηκης δια τϐ θανατϐ ἐγκαινισθησομενης, *panis, scilicet, Foederis morte renovandi*, in mente obviam debuissent habere! Quid mirum ipsum Auctorem hujus interpretationis, vere malleo extusae, exclamare, " at quam aenigmaticum! Aenigmaticum certe et obscurum! ,,[14] nam,

" Isti quidem hercle orationi Oedipo

Opus conjectori erat, qui Sphingi interpres fuit: ,,[15]

ut ex phrasi tam brevi, Apostoli periodum illam, tot sententiis gravidam, conjicerent eruendam! Alius, quem in medium proferam, sit *Guillelmus Paley*, vir inter Anglos magni aestimatus, et quidem merito, si ea spectemus quae egregie scripsit pro tuenda veritate Christianae Religionis. Ipse ergo, docte adducens argumenta interna pro authentia Novi Testamenti, illud inter alia profert, quod oritur ex simplicitate qua Eucharistiae institutio narratur; sicque subjungit; " Puto etiam, *difficultatem* quae oritur

---

(13) Ib. p. 771.

(14) *Nur wie räthselhaft! Räthselhaft und dunkel allerdings*. Ib. p. 76.

(15) *Plautus*; *Poenul*. Act. 1. in fine.

ex brevitate expressionis Christi, Hoc est Corpus meum, vitatam fore in ficta historia. Concedo explicationem horum verborum a Protestantibus datam animo satisfacere: sed *deducitur ex diligenti collatione illorum verborum, cum loquendi modis in Scripturis adhibitis*, et praesertim a Christo, aliis in locis. Nullus scriptor arbitrarie et absque necessitate lectori objecisset *difficultatem*, *quae*, (*ut minime dicam*) *acrem investigationem et eruditionem requirit quo amoveatur*. „ [16] Quibus verbis nihil, credo, clarius proferre potuisset, ut fateretur, explicationem Protestantium, nulla ratione ex naturali verborum situ vel ex circumstantiis earum prolationem comitantibus, oriri; verbo, totam aliorum locorum collationi, non vero *contextui* inniti; de quorum tamen collatione jam satis supra dixi.

Breviter sic omnia capita tetigi quae attulit Horneus, quo suum de Syriasmo figmentum fulciret ornaretque. Forsan in Theologorum messem falcem immisisse videbor; sed omnia quae adduxi inter philologica argumenta ipse ponit, et cum iis quae ex Syriaca lingua, egregie hallacinatus, profert, immixta ja-

---

(16) I think also that the *difficulty* arising from the conciseness of Christ's expression, " This is my body „ would have been avoided in a made up story. I allow that the explication of these words, given by Protestants, is satisfactory; but *it is deduced from a diligent comparison of the words in question with forms of expression used in Scripture*, and especially by Christ on other occasions. No writer would arbitrarily and unnecessarily have thus cast in his readers way, *a difficulty*, *which*, *to say the least, it required research and erudition to clear up*. *The Evidences of Christianity*, *by W. Paley*. *D. D.* Par. II. Cap. III. Ed. Edinburg. 1817. T. II. p. 90.

cent. Exempla singula quae habet discutere, contextum verborumque nexum acrius investigare, momenta aliis ex capitibus congerere, denique objecta ex philosophia diluere,[17] haec et alia hujusmodi vi-

(17) Ad difficultates, quae ex philosophia oriuntur, nullo pacto recurri potest, ut verborum sub lite positorum sensus eruatur. Nam Christus nunquam potuisset verba maxime clara adhibere, ad sensum figuratum deflectenda ex principio quod in Apostolorum mentem nunquam vel casu oberrare poterat; ut clarius loquar, nunquam *protulisset verba quae in errorem necessario inducerent, nisi explicarentur ope criterii, quo, ad ejus verba explicanda, illo in casu non usi fuissent*.

Porro Apostoli credebant Jesum Filium Dei, omnipotentia pollentem, leges naturae sibi subjectas habentem, (Mat. VIII, 26. Lu IV. 36. VIII, 25.) substantiam unam in aliam suo nutu permutare valentem; (Jo. II.) viderant aquis superambulantem, (Mat. XIV. Mar. VI, Jo. VI.) *et quum corpus haberet verum, postea viderunt clausas januas permeantem*. (Jo. XX, 26). Cum hujusmodi viris, potuissetne Jesus ita loqui, ut verus sensus suorum verborum ex eo penderet, quod impossibile quid a se factum narraret?

Sed et hujus fidei roboris exemplum manifestum habemus. Christus enim hoc ex capite veros a falsis discipulis discrevit, quod *isti* eum reliquerint ob apparentem impossibilitatem eorum quae promittebat, (Jo. VI. 42, 53, 61, 67.) *illi* vero e contra, quum non minus repugnantia ea putarent, tamen clausis oculis ipsi sincere se submiserint, quia ipsum falsitatis et fraudis incapacem noverint, et verum Dei Filium firmiter crederent. (Ib. 69. 70) Post hoc tam clarum documentum, a Christo approbatum, (Ib. 71) implicitae fidei Apostolorum etiam in rebus apparenter impossibilibus, modo Magistri ore pronunciatae fuerint, quisnam vel suspicari poterit, ipsum protulisse verba, quae intelligenda non erant nisi ex supposita impossibilitate eorum quae dicebat!

Quod si Christus verba sua hac lege intelligenda, Apostolis tradere non potuisset, neque nobis licet ipsa, eadem lege interpretari; nam ille sensus est verborum, quo Christus ea intelligi ab Apostolis voluit.

ris doctioribus relinquo; hoc contentus, si ostendero, quantum juvare possit linguarum et Litterarum Orientalium disciplina ad Catholicam veritatem tuendam, et proterviam adversariorum retundendam. Nam quum Protestantes hisce studiis sese impense dedant, iisque non raro abutentur ad Sacri Codicis interpretationem, quonam pacto melius illorum, in hac re, licentiae occurrere possumus, quam eadem pari ardore prosequendo, ut ex quibus fontibus ipsi venenum ex iisdem nos medelam hauriamus. Est enim profecto, est ea Catholica veritas, quae nullam investigationem, nulla vel ingenio excogitata, vel studio inventa argumenta, reformidet; quae nec Philosophorum subtilitate, neque gravioribus Theologorum momentis, tanto minus argutiis Grammaticorum concuti ulla ratione aut debilitari queat. Hinc, non inutiliter in Ecclesia Dei allaborare illi dicendi sunt (quod tamen non semel audivi) qui in Litteris quas dico proficere quaerunt, easque ad Sacra Studia applicare, eo animo, ut et aliorum errores castigent, et Catholicam veritatem novis argumentis, novisque illustrationibus in dies tueantur, amplient, exornent.

De Lingua Christi et Apostolorum,

Excursus ad §. III. *p.* 11.

Utrum Syro-Chaldaica, quam vocant, lingua an vero Graeca Christo et Apostolis fuerit vernacula, res est de qua adhuc disputatur, nec video quomodo causa, nisi reconciliatione utrinque adhibita, unquam sit dirimenda. Ut enim suam vim iis concedamus

quae acriter et docte pro Syris disputarunt *Simon*,[1] *De Rossi*,[2] *Fabricy*,[3] *Pfankuche*,[4] aliique, tamen neque contemnenda neque facile refellenda quae pro tuendo Hellenismo protulerunt *Vossius*,[5] *Diodati*,[6] *Arigler*,[7] *Hug*,[8] *Binterim*,[9] *Maltby*,[10] et si qui alii.

Ne vero in sylvam ligna portare videar, ea leviter tantum perstringam quae, vel ab istis jam notata vel ab aliis non ante trita, possint ostendere, Graecum sermonem fuisse omnibus pene Hebraeis, in communi vitae consuetudine familiarem.

I. Certum igitur videtur, *Antiochi Epiphanis* tem-

---

(1) *Histoire Critique du Texte du Nouv. Test.* C. VI. Rotterd. 1689, pp. 56, seqq.

(2) *Della Lingua propria di Cristo* etc. Parma 1772.

(3) *Titres primitifs de la Revelation.* Rome 1772, T. I. pp. 116, seqq. nota.

(4) *Ueber die Palästinische landesprache in den Zeitalter Christi und der Aposteln, ein Versuch von Hein. Fried. Pfankuche*: in *Eichhorn*, *Allgemeine Bibl.* T. VIII. pp. 365 - 480. Analysin continet libelli *De Rossiani*.

(5) *De Oraculis Sibyllinis* Oxon. 1680, pp. 88. seqq. Item in *Respons. ad Objec. Theol. Leyd.* et *ad iteratas* et *tertias P. Simonii Objec.*

(6) *De Christo Graece loquente, Excercitatio*, Neap. 1767.

(7) *Hermeneutica Biblica generalis*. Viennae 1813, pp. 72 seqq.

(8) Apud *Cellerier*, *Essai d'une Introd. au Nouv. T.* Genéve 1823, pp. 242. seqq. Nam *Hugii* opus, quod in Compendium reduxit *Cellerier*, (*Einleit. in die Schriften des N. T.*) ad manus non habeo. Clarus vero Auctor forte potius inter eos censendus, qui mediam quandam sententiam tuentur.

(9) *Epistola Catholica de lingua Originali N. T. non latina ad P. Mar. Molkenbuhr*. Dusseldorpii, 1820. Citat (p. 145.) *Leonard. Weckhauff* tamquam ejusdem sententiae patronum.

(10) *The original Greek of the N. T. asserted and vindicated; A Sermon* etc. Lond. 1825.

pore, plures ex Judaeis ad Graecorum partes moresque transiisse, [11] ita invaluisse horum linguam, ut et pueri et mulieres cum Graecis colloquium habere potuerint, [12] et tanquam res *praeter communem agendi rationem*, de uno aliove notetur, quod patrio seu Hebraico sermone, non sine jactantia, peroraverit. [13]

II. Si ad Christi tempora veniamus, videmus Romanum Praesidem non cum doctioribus inter Judaeos aut cum solo Christo, sed cum infima *plebecula* colloquentem, [14] accusationes et clamores excipientem, Barabbam vel Jesum proponentem, [15] se insontem sanguinis fundendi declararantem, [16] et in his omnibus ita a populari turba intellectum, ut apposite uno ore responderint, et Barabbam dimittendum et crucifigendum Jesum, nisi Caesarem infensum sibi et iratum Praeses vellet habere, [17] et sanguinem illum in se suosque refundendum. [18] Porro quis sibi facile sua-

---

(11) II. Mac. III, 10, 13. V, 27.

(12) Ib. VII. 9, 11, 16, 18, 30.

(13) Ib. v. 8. XII, 37. Cf. etiam VII, 21, 27.

(14) Mat. XXVII. Lu. XXIII, praesertim vv. 13, seqq. *Josep. Antiqq.* L. XVIII, C. 3. Ed. *Haverc.* T. II. p. 875. seqq.

(15) Mat. XXVIII, 17 etc.

(16) Ib. 24.

(17) Jo. XIX. 12.

(18) Mat. XXVII, 25. Et Pilati ritum in lavandis manibus et Judaeorum responsum maxime inter se cohaerere videbit, qui in utroque legalem et forensem Judaeorum formam agnoverit. Non enim ad lotiones manuum vel purificationes sacras Latinorum aut Graecorum recurrendum, ut faciunt *Porteus*, (*Lectures on the Gospel of S. Mat.* Lec. XXII. Lond. 1823, p. 422.) *Bynaeus*, (*De Morte J. C.* T. III. p. 199) *Kuinoel*, (*Comment. in Io.* T. I. p. 742, et in Mat. III, 6, p. 83.) aliique. (Cf. *Rosenmül. Scholia*

debit, Pilatum, virum armis potius quam litteris deditum, feroce crudelique ingenio praeditum, [19] Cae-

in Ps. XXVI. Par. IV. Vol. II. Ed. sec. p. 714.) Sed constat inter Hebraeos *modum legalem* se et alios insontes criminis declarandi fuisse manuum lotionem, in *uno* casu a Lege praescriptam, (Deut. XXI, 6.) in aliis probabiliter usu consecratam. Ita enim adhibetur in Ps. XXVI. (Heb.) 6. inter alias *res et phrases plane forenses*, quibus totus Psalmus adornatur, (Cf vv. 1, 2, 4, 5, 9, 10, 11.) ut vix dubium quin inter Judices et testes, eodem modo quo a Pilato, fuerit usurpata. Etiam inter scriptores Hebraeos invenitur, ut in Talmud (*Gittim.* fol. 56. Ap. *Buxtorf, Lexic. Talm.* col. 1076.) בעי לחרבי ביתה ובעי לכפורי ידיה " Quaerit destruere domum suam, et quaerit abstergere manus suas. „ Huic ritui non improbabiliter jungebantur ipsa Pilati verba, quae eodem modo saepius in SS. LL. adhibentur. (V. inter alia II. Sam. III. 28. Dan. XIII, 46.) E contra quum quis condemnabatur capitis, solemne erat illum diris devovere tanquam propriae necis causam. Scilicet manus reo imponebantur, quasi ipsius *capiti scelus imponeretur*; (Lev. XXIV, 14. Deut. XIII, 9. speciatim vero, XVII, 7.) immo si Rabbinis credas, *ea pene verba adhibebantur quibus Judaei exclamaverunt*. Sic v. g. Rabbi *Maimonides*: (*Havoda Cocavim.* C. II. §. XIV. Ed. Voss.) " Singuli testes et judices imponunt manus suas capiti blasphemi, et dicunt ei דמך בראשך *Saguis tuus super caput tuum.* „ (Cf. II. Sam. I. 16. II. Reg. II, 37. et *Rosenmüller*, *Das alte und neue Morgenland*, T. III, p. 124.) Ex his omnibus patet, vel Judaeorum ritus a Praesidibus Romanis fuisse observatos, vel Pilatum ipsis se accommodasse. Quum igitur viderent Judaei, Pilatum pro *consueto ritu*, suum sanguinem reo imponendi, *alium* adhibuisse quo Christum insontem declararet, odio et rabie occoecati exclamaverunt, se nihil de eo ritu sollicitos esse; sed a se suisque ejus sanguinem repeti posse, modo morte plecteretur.

(19) Lu. XIII, 1. seqq. *Jos. Antt.* L. XVIII. C. 3. T. II. p. 876: *Philo*, *De Legat. ad Caj.* T. II. p. 590. Ed. *Mangey*.

sareae,[20] in civitate Graeca[21] degentem, didicisse linguam ab eruditis non sine magno sudore ingentique studio comparatam; [22] quum praesertim et Hebraeis iste esset infensissimus, [23] et horum sermo tanquam barbarus inter suos haberetur,[24] et contra Romanorum consuetudinem esset, in provinciarum administratione, praeter Graecam aut Latinam, aliam linguam usurpare? [25]

III. Videmus Judaeos locis et personis nomina Syriaca dantes, eorundem tamen nominum interpretationem Graecam ita junxisse, ut non minus hac quam Sy-

---

(20) *Joseph. et Philo* ubi sup. V. etiam Act. XXIII, 23, 33. XXVI, 15.

(21) *Josep. Bell. Jud.* L. III, C. 9. T. I. p. 250, etc.

(22) Videsis *Hieronym. Ep.* 95. *ad Rustic.* etc.

(23) *Philo* ubi supra p. 589. (notata per errorem 591.)

(24) Sic v. g. *Iuvenalis*, postquam de Graecia locutus fuerit, *Syros* barbaros appellat:

" Jam pridem *Syrus* in Tiberim defluxit Orontes,
Et *linguam* et mores - Vexit.
Ite quibus grata est picta lupa *barbara* mitra.,, Sat. III, v. 62.

Ita et nomina Dei *Syrorum* barbara appellat *Plato*, si memini, in *Epimenide*.

(25) V. *Hug.* (ubi sup. p. 246.) Romanos, in tabulis et lapidibus publicis et privatis, lingua Latina in Palaestina aliisque Orientalibus provinciis usos fuisse, certum est: (V. ut alia taceam, *Relandum*, *Palaestina illustrata*, T. I. p. 401. seqq. et *Marmor Stratonicense* ex Caria, a *Bankes* adductum, illustr. in *Memorie Romane di Antich.* T. II. p. 29. seqq.) sed non minus certum, eam nunquam ibi fuisse vernaculam: quod tamen probare conatur *P. Marcellinus Molkenbuhr*. (*Problema Criticum*, *Sacra Scriptura N. T. in quo idiomate edita fuerit*. Paderb. 1821 pp. 125, seqq.) *Binterimi* responsum, (*Propempticum* etc. Mogun. 1822) videre mihi non licuit.

riaco nomine illi dignoscerentur, [26] quod quidem ostendit Graecum sermonem quotidiano hominum usu tritum fuisse.

IV. Inscriptio, Judaeos non minus quam alienigenas respiciens, Graeco sermone Templi septo insculpta erat. [27] Judaei, qui optime Paulum cognoscebant, [28] tamen illum Hebraice colloquentem mirabantur. [29] *Josephi* temporibus, etiam servi linguam Graecam callebant. [30]

Tandem, dum Apostolos non minus in Alexandrina Versione quam in Hebraica veritate versatos fuisse cernimus, [31] nullum, credo, monumentum adduci potest quo ostendatur, primam Palaestinae Ecclesiam vel Hebraico Syriacove sermone sacra peregisse, vel Novi F. libros in quavis versione, aut Veteris, aliter quam

---

(26) Ita Apostolorum Princeps modo Petrus, modo *Cephas* appellatur etiam inter Graecos, (I. Cor. XV, 5. Gal. II, 9, 14. sed cf. *F. Zaccariae Dissertazioni varie Ital.* etc. Roma, 1780. T. 1. pp. 195, seqq.) ex quo constat utrumque nomen ipsi adhaesisse. Pari ratione *Thomas* inter suos alio nomine dicebatur Διδυμος (Jo. XI, 16, XX, 21) quod exacte Syriaco ܬܐܘܡܐ respondet. De *Thaddaei* et *Lebbaei* (Mat. X, 3.) aequipollentia vix ausim dicere; confer tamen quae habeat *Michaëlis*. (ad *Castel.* p. 951. ubi remandat lectorem ad suam, *Introd. in N. T.* §. 256, Ed. 4. T. II. p. 1492. sed ibi de hac re nihil habet.) *Tabitha* (Act. IX. 36.) non minus, interpretato nomine, dicebatur *Dorcas*. (col. v. 39.) Similiter aula praesidis aeque *Lithostrotos* appellabatur ac *Gabbatha*. Alia prudens omitto.

(27) V. *Diodati* p. 94. seqq,

(28) Act. XXI. 27.

(29) Ib. 40.

(30) *Josep. Antt.* L. XX, 9.

(31) De citationibus Veteris in N.T. videsis *Michaelis Introd.* etc. T. II. pp. 215. seqq. Vers. Ang.

in Graeca usurpasse: [32] quum tamen certum sit, Ecclesiam istam Judaeis etiam rudioribus constitisse. [33]

Ut igitur innumera alia missa faciam veluti jam a Viris doctis praeoccupata, quum satis aliunde constet *etiam Linguam Aramaeam fuisse in Judaea vulgatam*, illi mihi rem acu tetigisse videntur qui, *medium*, in quo veritas non secus ac virtus plerumque sistitur, amplectentes, putant, Judaeis utramque linguam fuisse familiarem. [34] Cui quidem sententiae multa favent. Nam ita conciliari possunt pugnantia inter se Synedrii decreta a Rabbinis citata, qui modo asserunt permissam linguam Graecam, [35] immo injun-

---

(32) Unde ita depravata fuerunt, quotidiano usu, Christianorum Palaestin. exemplaria, ut novam recensionem eorum usui curaverint *Eusebius* et *Pamphilus*.

(33) Act. IV, 35.

(34) Ita *R. Jochanan* (*Midr. Tillim* fol. 25. C. 4.) " Tres sunt linguae: Latina bello inserviens, (victorum lingua) *sermoni Graeca*, precibus Hebraica. ,, Hanc sententiam probare nisi sunt *Hen. Got. Paulus*, (*Verosimilia de Judaeis Palaestinensibus, Jesu etiam et Apos. non Aramaea dial. sola, sed Graeca quoque Aramaizante locutis*, 1803) et *Hen. Christ Rettig.* (*Ephem, Exegetico - Theol.* etc. Fascic. III. Gissae 1824. Exc. I. pp. 1. seqq.) Nec multum forsan dissentiunt *Hug* et ipse *Ric. Simon.* (ubi sup. p. 60.)

(35) Permittitur libellum repudii lingua Graeca scribere, (*Mischna*; *Gittim* C. IX, n. 8. Ed. *Surenhus*. T. III p. 375.) ut et libros sacros litteris Graecis; (*Maimon. Hilch. Tep hil.* C. I. §. 19.) nec non filios Graecum docere, (*Talm. Hierosol. Sotah et Schaab.* ap. *Surenhusium* T. III. p. 307.) etc. etc. Audi etiam opinionem Syrorum: " Quum Matthaeus ad Judaeos Evangelium scripserit,
ܘܣܓܝܐܐ ܡܢ ܥܒܪܝܐ ܒܠܫܢܐ ܝܘܢܝܐ ܡܫܬܡܫܝܢ ܗܘܘ.
Et plerique Hebraeorum lingua Graeca uterentur. (*Dionys. Barsalib.* ap. *Assem. Bib. Or.* T. II. p. 160.)

*

ctam; [36] modo vero sub maledictionis poena prohibitum fuisse filios eam docere. [37] Scilicet decreta illa (si non purum putum figmentum sint) ad tempora eversionem Reipub. Hebraeae praecedentia debent referri, haec vero ad posteriorem aetatem. [38] Hinc eodem modo res se habebat, Christo vivo, quo saeculis succedentibus; quamvis enim " Graecum totus Oriens loqueretur,,, [39] inter vulgares tamen homines adhuc vigebat linguae Aramaeae usus. [40]

Sed neque exempla desunt inter alias gentes hujus duplicis sermonis consuetudinis, nam ut antiquiores praetercam, etiam inter Hiberniae et Scotiae incolas, maxima turba et *patriam* linguam et *Anglicam* callent, erectis tamen magis auribus stant, si quis, eos alloquens, illam potius quam istam adhibeat; non secus ac Judaei Paulum, *patrio* sermone perorantem, libentius audierunt.

---

(36) " Non permiserunt scribere libros ulla lingua nisi Graece.,, *Mis. Megill.* C. I. §. 8. (Ed. *Sur.* T. II. p. 390.)

(37) *Bava Kama* fol. 82. 2. *Sotah* fol. 49. 1. apud *Lightfoot, Horae Hebr. in Act.* VI. 1. (Ed. Rotterd. 1686. T. II. p. 706.) quem inter Aramaeae linguae patronos omisi.

(38) Ita exacte rem conciliat Tractatus *Sotah*; docet enim prohibitum fuisse linguae Graecae studium בפולמוס של טיטוס " in bello Titi.,, (C. IX. §. 14. Ed. cit. T. IV. p. 304)

(39) Ita *Hieronym. Prolog. in Ep. ad Galatas*.

(40) Vide Scriptorum testimonia ap. *Reland. Palaest. Illus.* T. II. p. 756.

II.

SYMBOLAE PHILOLOGICAE

AD

HISTORIAM VERSIONUM SYRIACARUM

VETERIS FOÈDERIS :

ADHIBITIS, EX PARTE, FONTIBUS HACTENUS INTACTIS.

PARTICULA PRIMA;

DE VERSIONIBUS GENERATIM,

DEINDE DE PESCHITO.

SYMBOLAE AD HISTORIAM VERSIONUM SYRIACARUM VETERIS FOEDERIS, PRAESERTIM PESCHITO.

§. I.

Scopus harum Symbolarum. Quot Versiones Syriacae Veteris Testamenti a VV. DD. passim numerentur.

Qui Disciplinas Sacras colunt, utilitatem Versionum sive ad Crisin sive ad Exegesin inspirati Textus satis perspectam habent. Inter has vero illae magnam sibi aestimationem vindicant, si Antiquitatem praesertim quaeras, quae ab Ecclesiis Syriacis nobis sunt conservatae. Sed ut earum momentum in quaestionibus criticis dirimendis aequiore lance pensari possit, et auctoritas in enucleandis significationibus dubiis, justo limite circumscribatur, nostra certe maxime interest, Auctorum aetatem et cultum cognoscere, nec non media et commoda quae ad suum opus prosequendum et perficiendum adhibere potuerint et revera adhibuerint. Haec quidem duplici modo explorare licet: quatenus vel ex internis notis, critici studii ope, haec omnia expiscari quaeramus, vel ex testimoniis aliorum, breviori sed in nonnullis minus accurata methodo, patefacere. Ut vero, judicium magis fundatum his de rebus habeatur, utrumque cognitionis fontem conjungere oporteret, ita ut, collatis curis studiisque, *Philologus* et *Criticus* communem sententiam in causa tam gravi proferant.

Si de Versionibus Syriacis Novi Foederis sermo instituatur, nihil pene inexploratum reliquerunt Viri Do-

cti, quod earum historiam earumque valorem determinare possit, adhibitis tamen praesertim internis quae dicunt argumentis. Campum igitur jam excultum jamque segete ornatum iterum vellet arare, qui post *Assemanum*[1], *Gloucester Ridley*[2], *White*[3], *Storr*,[4] *Jo. Dav. Michaelem*,[5] praesertim vero post *Jac. Geor. Adler*,[6] Litteris Romanis adeo charum simul et gratum, 7 novas curas ad harum recensionem vellet conferre.

(1) In *Bibliotheca Orientali*, locis infra citandis.

(2) *De Syriacarum N. Foederis Versionum Indole atque usu, Dissertatio*, 1761.

(3) *Sacrorum Evangeliorum versio Syr. Philoxeniana ex Codd. MSS. Ridleianis etc.* Oxon. 1778.

(4) *Observationes super versionibus N. T. Syriacis*. Studtgard. 1772. V. *Repertorium für Biblische und Morgenl. Litter.* T. VII. pp. 1-77. T. X. pp. 1-58.

(5) *Introductio ad N. T.* Tom. II. pp. 4. seqq. version. Ang. Ed. 4. *Curae in Versionem Syriacam Actuum Ap. Goetting.* 1775.

(6) *Novi T. Versiones Syriacae . . . denuo examinatae a Iac. Geo. Christ. Adler.* Hafniae, 1789.

(7) Vide Dedicationem citati operis, ad Eminentissimos *Garampi* et *Borgiam* directam. In Exemplari ad hunc misso, praefixa conspicitur Cl. Auctoris picta imago, subnexis hisce versiculis.

" O nimium felix oculo si visa benigno,
Quo jam pectus adest, i sequere effigies. „

Cf. ejusdem libellum cui titulus, *Iakob Georg Christian Adlers . . . Kurze Uebersicht seiner biblisch-kritischen Reise nach Rom.* Altonae; 1783. pp. 78, 167. et illum, *Musaeum Cuficum Borgianum*, Romae 1782. Praef.; nec non humanissimam ejus *Epistolam* ad *Rev.* et vere doctum *P. Georgi*, Haf. 1790, de quo epistolari commercio jure observat *Eichhornius*, talem contentionem nemini posse displicere, quum tanta inter adversarios comitas libero digna intercesserit. *Bey ihren Streit sagen sich die beyden gelehrten Männer so viel Schönes, dass man gelehrte Streitigkeiten so geführt, nicht missbilligen kann.* (*Allegem. Bibliot.* T. V. p. 313.)

Longe vero aliter se res habet si de Veteris Legis tabulis in Syriacam dialectum versis inquirere satagamus. Vix ullum monumentum historicum de earum auctoribus tempus edax nobis reliquit: et si qua forte exemplaria in patria adhuc delitescant, locorum tamen invidiosa distantia ea oculo critico perlustranda denegat. Attamen, neque omnia media videntur adhibita fuisse, hac in re, quae Sacrarum Litterarum studiosos invitare possent: nonnulla enim adhuc latent quae in versionum istarum historiam parum saltem lucis suffundere, nonnulla etiam quae dubia de aliquarum natura vel existentia dirimire valeant.

Quae quum partim suspicatus fuerim, partim experimento didicerim, eo me accinxi, ut quaecumque de hisce versionibus colligere possem non jam ab aliis occupata, ea in SS. LL. commodum conferrem; non ita quidem ut quid ipse sentiam, panderem, sed ut *symbolas* colligerem tantum, quarum ope judicium ferre possint qui se in hisce studiis magis exercitatos norint. Unde si multa non magni ponderis, immo minuta nimis et subtiliora visa fuerint, negligant Viri docti, non vero mihi vitio vertant: qui enim omnia congerere studet, huic neque leviora spernenda. In una tandem Commentatione et quidem paucarum plagularum spatio rem conficere, initio decreveram: sed, accedente nova industria, in molem non parvam succreverunt symbolae istae, unde eas in varias particulas divisas faciles accipiant velim.

Tot passim laudantur a Scriptoribus versiones Syriacae, ut quae *Augustinus* de innumerabilibus ver-

sionibus Latinis monuit, [8] quaeque *Hen. Eberh. Gottl. Paulus* de Arabicis redixit, [9] ea de Syriacis aequiore jure, majorique emphasi pronuncianda dixeris. [10] Sequentes tamen praecipue circumferuntur tamquam versiones quarum aliqua saltem cognitio ad nos usque pervenerit.

I. *Peschito* seu Simplex,
II. Versio *Karkaphensis*,
III. Versio *Figurata*,
IV. Versio *Hexaplaris*,
V. Versio *Pauli* Episcopi Telensis,
VI. *Mar Abbae*,
VII. *Jacobi Edesseni*,
VIII. *Simeonis* Abbatis S. Licinii, versio Psalmorum,
IX. *Philoxeniana*, seu *Xenajae* Mabugensis,
X. *Harklensis*, sive *Thomae* Episcopi Harklensis,
XI. Versio ex *Origenis* Quinta,
XII. Graeca seu *Jaunojo* apud S. *Ephraemum*. [11]

(8) *De Doctr. Chr.* L. II. c. 11. Ed. Ven. 1729. T. III. P. I. col. 25.

(9) *Commentatio Critica, exhibens ... specimina Versionum Pentateuchi septem Arabicarum* etc. Ienae 1789. p. 1.

(10) *Dass vielleicht keine Sprache mehrere Uebersetzungen und Ausgaben und Recensionen der vorhandenen Versionen aufzuweisen hat, als gerade die syrische.* Hoc est: " Ut forsan nulla lingua plures versiones, editiones et recensiones versionum praecedentium ostendere possit quam ipsa Syriaca. „ *Einleitung ins Alte Testament, von Iohann Gottfried Eichhorn.* Lips. 1780. T. I. §. 246. p. 435.

(11) Audi has tantum non omnes numeratas ab *Eichhornio* jam cit. §. 258. p. 459. *Zum griechischen Stamm gehören die* versio figurata, *die hexaplarisch-syrische, und Philoxenische, die Version eines Mar-Abba, Iacob von Edessa, Thomas von Heraklea, Paul Bischoffs von Tela, Simeon Abbt von Kloster des h. Licinius, der Iaunoio oder Grieche des Efräm Syrus,*

His et alias addere possem, veluti versionem ex Hebraico fonte ab *Ephraemo* inter commentandum factam, aliam ex Graeco, ante *Origenis* aetatem, *Nestorianam* pariter, *Jacobitam*, et alias de quibus oblata occasione παρόδως agam: de primis enim illis magis distincte dicere in mente habeo.

§. II.

Quae de Versionibus Syriacis Veteris Testamenti habet BARHEBRAEUS.

Omnia fere quae ad historiam versionum Syriacarum collata fuerunt, ex uno *Gregorio Barhebraeo* desumpta sunt. Quum enim esset litteris patriis tam sacris quam profanis prae suis fere omnibus imbutus,[1] quumque data opera Commentarios *criticos* conscripserit, maximam auctoritatem sibi vindicare censenda sunt ea quae de versionibus istis tradit. Duobus igitur in locis de versionibus Syriacis expresse verba facit: quae quum tantum carptim ab Auctoribus adducantnr, nec ad omnium manus passim extent, integra adducere operae pretium duxi, plurima enim ex istis pendent, quae in hisce Commentationibus probanda aggredior.

In Praefatione igitur ad Librum ܐܘܨܪ ܐܪ̈ܙܐ seu *Thesaurus Arcanorum*, qui continet Commentarium in totam Scripturam Sacram [2], versiones Syriacas Vete-

---

und die versio Karkaphensis *beim Gregorius Barhebräus*. Scilicet " Originem Graecam habent, versio figurata ,, etc.

(1) *Assem. Bib. Or.* T. II. pp. 244, 275.

(2) Operis descriptionem et analysin videsis, ibid. p. 278;

ris Novique Foederis recenset. Ex hac praefatione quae versiones respiciunt in medium protulerunt *Assemani*, [3] *et Brunsius*, [4] uterque de hisce studiis optime meritus; sed neuter integra serie totum locum dedit. Codicem nactus sum Vaticanum nunc CLXXI., chartaceum, litteris penitus recentissimis nitidissime conscriptum, sed mendis plus satis foedatnm, quae quum in nonnullis locis deprehenderim, in aliis suspicor. Codex mutilus est, quum ad medium Psalmum XXXVII solum, commentando pertingat, et in fine ultimi folii *Custos* habeatur. Codicem Collegii Maronitici adhibuit *Assemani*, [5] quem in scriniis Vaticanis, ubi ipsum latere sperabam, invenire quaerenti sors non concessit. Accipe igitur totum Prooemium, cujus prima pars versibus ὁμοιοτελεύτοις concinnata; Syriacae Musae partum lectori inspiciendum sistet.

ܦܪܘܿܡܝܘܢ

ܟܪ ܕܠܟܠܗ ܠܐܘܪܚܐ ܟܠ ܥܡܐ (ܘܟܠܗ ܥܡܐ[6]) ܠܟܠܠ
ܡܢ ܣܦܪܐ ܟܠ ܒܪܘܪ ܠܗܘܦ.

---

et ap. *Renaudot*. (*Liturg. Orient.* T. II. p. 471.) Totum librum aliquando edendum auspicatur Vir LL. OO. peritissimus, *Samuel Lee*, in Universitate Cantabrig. Professor, (*Clasical Journal*, No. 46. Iun. 1821. p. 247.) cujus votis illa omnium studiosorum harum Litterarum accedere nullus dubito.

(3) *Op. Cit.* T. II. pp, 24, 279.

(4) *Repertorium für Biblische und Morgenl. Litteratur* T. VIII. p. 89.

(5) Ubi sup. p. 277.

(6) Haec adduntur in margine Codicis.

ܘܡܢ ܕܐܝܬ ܥܠ ܡܕܘܒܪܢܘܬܐ ܒܪܝܬܐ ܟܠܗ̇ ܕܗܘܝܐ
ܠܬܐܘܦܐ.

ܟܕ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘ ܐܠܗܐ ܒܠܚܘܕܘܗܝ.
ܘܠܐ ܚܕܐ ܡܢ ܗܠܝܢ ܕܗܘܝ ܒܠܚܘܕܝܗ.
ܡܠܟܐ ܗܘܐ ܠܫܡܝܐ ܠܥܠܡܐ.
ܘܒܪܘܚܗ ܗܘܐ ܒܡܘܗܒܬܐ ܡܠܟܬܐ.
ܠܒܪܢܫܐ ܒܨܠܡܐ ܗܕܝܪܐ ܘܕܡܘܬܗ ܥܒܕܗ.
ܘܒܨܠܡܐ ܕܝܠܗ ܢܘܗܪܐ ܕܢܬܕܡܐ ܠܥܒܕܗ ܀
ܡܫܠܡܢܘܬܐ ܕܥܠܡܐ ܘܫܘܠܛܢܘܬܐ ܐܠܗܝܬܐ ܢܫܡܬܐ
ܐܫܠܡܗ.
ܘܠܡܘܠܟܐ ܡܢ ܬܚܡܐ ܕܡܠܟܘܬܗܘܢ ܠܡܫܘܬܐ
ܐܫܠܡܗ.
ܘܟܕ ܡܢܗܘܢ ܘܚܝܐ ܐܟܠܘ.
ܡܢܗܘܢ ܫܡܝܐ ܐܬܒܪܝܘ.
ܐܚܘܢ ܐܚܐ ܐܟܠܘ.
ܘܐܢܫܐ ܠܡܠܟܘܬܗ ܐܚܪܘ.
ܡܫܝܚܐ ܐܬܓܠܝ ܠܢ ܕܒܟܠܡܕܡ ܘܡܠܐ ܐܚܐ. ܘܐܦ

ܫܘܒܠܐ ܡܟܝܟܐ ܕܒܟܝܘ ܙܘܓܐ ܒܥܠܡ. ܒܐܪܥܐ

ܦܪ ܒܡܕܝܢܬܐ ܗܘܐ ܐܒܘܗܝ ܐܦܪ.

ܘܢܛܘܪܐ ܡܫܡܫܢܐ ܐܢܐ ܥܡ ܘܠܐܫܘܬܐ ܐܬܐ ܥܪ:

ܒܦܩܘܕܐ ܫܪܝܪܐ. ܠܗ ܒܟܠ ܐܝܟ ܗܘ ܕܡܫܝܚܐ.

ܐܠܐ ܐܦܠܐ ܡܟܝܟܘܬܗ ܕܡܫܝܚܐ.

ܘܚܣܝܘܬܐ ܚܙܐ ܒܐܘܪܚܐ ܕܡܫܝܚܘܬܗ ܕܡܪܢܐ.

ܘܐܬܐ ܡܠܘܐܐ ܕܡܫܝܚܘܬܗ ܕܡܪܢܐ:

ܡܛܠ ܕܡܫܟܚܐ ܗܘܐ ܦܬܓܡܐ ܕܒܟܬܒܐ ܐܘܠܐ. ܘܐܝܟ

ܕܐܡܪ [7] ܐܘܣܒܝܘܣ ܦܬܓܡܐ: ܐܘܓܝܢܣ (ܒܗܕܐ [8])

ܐܢܬܐ ܐܝܟ ܐܢܫܝܢ ܐܦܝܣܩ. ܗܢܐ ܗܘ ܕܒܛܡܘܣ

ܫܘܪܝܐ ܒܟܠ ܐܬܪ. (ܒܗܘ [9]) ܘܐܦ ܙܒܢܐ ܫܡܫܐ

ܫܡܫ. ܘܥܡ ܡܫܡܫܢܐ ܘܡܩܪܝܢܐ. ܕܗܘ ܗܘ ܕܫܡܥܘܢ

ܘܐܬܝ. ܫܒܝܚܐ ܒܫܘܪܝܐ ܕܗܘܐ ܐܦܝܣܩ.

ܘܒܐܦܝܣܩܘܦܘܬܗ ܕܡܠܟܘܬܐ ܘܕܐܪܘܡܝܐ. ܘܕܟܠܗ

---

(7) In *Assemano*, (ubi sup. p. 279.) deest, amanuensis vel typographi errore.

(8) Ita *Assemani*; (ibid.) in Cod. nostro deest, sed necessario restituendum.

(9) Ita restituo ex eodem.

ܘܢܦܩܬ . ܘܐܦ ܠܗ ܠܦܘܪܣܐ . ܐܠܐ ܠܟܘܪܣܝܐ ܕܐܦܝܣܩܘܦܘܬܐ.
ܕܟܠܗ ܕܝܢ ܕܗܘܐ ܡܗܝܡܢܬܐ . ܐܠܐ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܗܘܬ.
ܚܙܐ ܡܢܗ ܕܒܢܝ ܐܚܘܗܝ ܕܫܠܝܡܘܢ ܘܕܝܢܘܣ ܡܠܟܐ
ܐܬܐܦܣܩ . ܕܬܪܬܝܢ ܕܐܝܬ ܗܘܬ . ܒ ܥܘܕܪܗ ܠܬܐܘܕܪܐ
ܠܡܦܪܢܣ ܐܠܟܣܢܕܪܘ . ܕܬܠܬܐ ܕܫܢܘܗܝ ܐܝܟ ܡܠܟܐܝܬ
ܩܐܬܐ ܡܕܒܪܐ ܕܐܘܪܗܝ ܠܐܦܩܣܗ . ܐܦܝܣܩ ܕܐܦ
ܕܝܬܩܐ ܚܕܬܐ ܟܝܘ (ܟܘܡܕܝܩܘܢܬܐ [10])
ܦܛܪܝܪܟܐ ܐܠܟܣܢܕ . ܐܦܐ ܡܪܝ ܟܣܪܐܠܐ ܡܢ
ܡܢܐ ܠܡܗܝܡܢܐ ܠܐܠܟܣܢܕܪܝܐ ܐܣܬܪܘܬܐ ܒܩܪܒܘܢ
ܡܕܝܢܬܐ . ܒܩܘܪܣ ܢܗܘܐ ܦܠܛܘܟܘܣܐܠܦܣ [11].

(10) Sic corrigo, ex eodem, Codicem Vaticanum, qui legit ܟܘܡܕܝܩܘܢܬܐ. Mirum non est errasse amanuensem in hujus vocis scriptione; constat enim jam inde a saeculo VIII. ipsos in ea utpote rariori labi consuevisse. Audi *Jacobum* Edessenum. ܠܐ ܢܣܠܘܢ ܠܫܡܐ ܗܢܐ ܗܟܕܝܩܘܢܬܐ. ܟܕ ܫܚܠܦܝܢ ܠܗ ܕܠܐ ܝܕܥܝܢ ܡܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܡܫܘܕܥ ܓܝܪ ܗܢܐ ܕܗܘ ܗܘ ܐܚܪܢܐ "Ne respuant (amanuenses) nomen illud *hicadhiuto*, illud mutantes, eo quod nesciant quidnam sit, significat enim illud quod idem est ac aliud., *Epist. ad Georg. Sarugens. Cod. Vat. CLIII. fol.* 186.

(11) Male exprimit verba sequentia Codex Collegii Maroniti (ap. *Assem.* ubi sup. p. 24.) scilicet ܟܬܒܐ ܢܝܫܐ ܠܐܘܪܐ

[illegible]
[illegible]
[illegible] ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܡܒܘܓ
[illegible] :·

Versio Latina.) Prooemium.

Tibi qui suspendisti terram super aquas, hasque supra coelum cohibuisti, omne genu se flectat!

Et a te omne donum optimum quisque gressus attrahat! [12]

Quum Tu solus sis Deus,

Nihilque eorum quae sunt, absque te *existat*.

Verbum Tuum posuit limites populis,

Errorem vidit Vir Doctus in Chronologia, [illegible] et emendavit ex conjectura sic; ܘܡܢ ܐܬܦܚܡܬ ܠܗ ܥܡ ܨܚܚܐ ܕܝܠܗ ܕܦܝܠܘܟܣܢܘܣ ܒܝܕ ܚܣܝܐ ܬܐܘܡܐ ܘܟܘ " Postea ad exemplar ipsius *Philoxeni* collatum fuit per Religiosum *Thomam* etc. „ Locus igitur iste egregie emendatur a Codice nostro cui consentit Cod. *Bodleianus* a *Brunsio* citatus, cohaeretque optime cum Epigraphe Versionis Philoxenianae, quae in omnibus fere ejusdem Codd. reperitur. Hac pariter lectione confutatur clarius *Io. Dav. Michaelis* opinio, *Thomam Harklensem* aequalem fuisse *Philoxeno Mabugensi*, statimque editam ab ipso, seu ejus syncello *Polycarpo*, versionem, Alexandriae recensuisse, (*Io. Dav. Michael. Introd. in N. T.* vers. Ang. Lon. 1823. T. I. P. I. p. 65.) quamvis satis ex historicis aliis monumentis a suo Commentatore *Marsh* jam, hac in re, emendatus sit. (*Ib.* P. II. p. 574.) Philoxenianae Versionis ante *Thomae* recensionem, fragmenta alibi dabo.

(12) A ܦܐܠ, seu ܐܦܠ; primum ponitur pro *αἴρειν*; (Mat. IX,

Et vi Spiritus Tui steterunt in abyssis maria.

Hominem juxta pulchram majestatis Tuae animam figurasti,

Ejusque animam intellectu lucido corroborasti: (*juventute donasti.*)

Praecipue eorum, qui scriptis Divinis seipsos dedicarunt,

Intellectusque aegrotos doctrinis suis mirabilibus sanarunt.

Ex quorum quum nonnulli sententias (*exegesin*) protulerint,

Nonnulli, vero, verba (*critice*) correxerint;

Alii historias conscripserint,

Alii, vero, Lexica [13] concinnare praetulerint;

Utile visum est etiam mihi, si hoc labore et occupatione, semen

Interpretationis omnigenae totius Scripturae, in solo

Hujus libelli coluero, [14]

Lucrumque permanens mihi aliisque comparavero.

16.) et in sensu *attrahendi* manifestissime bis usurpatur a *Ioanne Darensi*. (*De resurrect. mortuor.* ap. *Abraham Ecchellensem* ad *Hebedj. Cat.* Romae 1653, p, 171.) Alterum in voce passiva, a *Barbahlulo* aequivalens ponitur Arabico تجدب pro quo تجذب probabiliter legendum, quod pariter significat *attractus est*, sic enim voces istae affines melius inter se consentiunt.

(13) ܡܠܟܣܣ Verbum ex voce Graeco-Syriaca ܠܟܣܝܣ effictum, Lexicis restituendum.

(14) ܐܟܪ a verbo ܐܟܪ quod desideratur in Lexx. collato nomine ܐܟܪܐ *agricola.*

Libros enim multos non omnibus datum possidere,

Sed neque eorum Capita enumerare;

Paucorum *tantum est* dorsum, gravitati eorum ponderis [15] inclinare,

Sub eorum vero umbra hirundinum turba nidificat. [16]

Quoniam vero Versio ista Simplex (quae Hebraico textui conformis est, quamque, ut refert *Eusebius* Caesareensis, *Origenes* apud mulierem quandam viduam invenit,) in manibus Syrorum ubique gentium versetur, ipsam, quamvis quassatum fundamentum, supposui; et ex Versione Graecorum, id est LXXII Intt. multa ad ejus confirmationem adduxi. At *Aquilae*, et *Symmachi*, et *Theodotionis*, Quintam pariter et Sextam [17] versionem, quamvis non ad confirmationem tamen ad illustrationem adhibui.

Quod vero spectat ad hanc Syriacam (Versionem) tres fuerunt sententiae; prima quod tempore *Salomonis* et *Hiram* Regum conversa fuerit, secunda, quod *Asa* Sacerdos, quum ab Assyrio missus fuit Samariam, eam transtulerit; tertia tandem quod, diebus *Adaei* Apostoli et *Abgari* Regis Osrhoeni versa fuerit, quando etiam Novum Testamentum, eadem simplici forma traductum est.

---

(15) Ad vocem ܡܬܩܠܗܘܢ quae sic expresse in Codice punctatur, additur in margine, ܡܬܩܠܐ ܗ̄ ܡܬܩܠܬܐ, quam eandem significationem nomini satis simili tribuit *Novariensis*.

(16) Id est, situ neglectuque squalida relinquuntur.

(17) Minus accurate, *Pentapla* et *Hexapla* reddit Doctissimus *Assemani*. (*Bib. Or.* T. II. p. 279.)

Deinde magis diligenter ex Graeco in Syriacum translatum est (*Nov. T.*) secundo, in Urbe *Mabug*, diebus Religiosi [18] *Philoxeni*; et recensitum tertio, Alexandriae, opera Religiosi *Thomae Harklensis* in Coenobio sancto *Antonianorum*.

Testamentum vero Vetus Septuagintavirale *Paulus* Episcopus Tellae *Mauzaleth*, ex Graeco in Syriacum transtulit. „

Totum hoc Prooemium, monumentum pro Historia Versionum Syriacarum longe pretiosissimum, integrum dare operae pretium duxi: tum quia, ut supra innui, tantum per partes ab aliis prolatum fuerit, ita ut quae *Assemani* Latine et quasi narrando proferat, ea Syriaco sermone apud *Brunsium* quaerenda, [19] nec ipse *Assemani* omnia quae habet uno in loco ponat; [20] tum quia haec disjecta

---

(18) Titulus ܩܕܝܫܐ quem *Religiosum* passim reddit *Assemani*, apud Syros Episcoporum nominibus praefigitur ut ille *Reverendissimi* inter nos. (Conf. *Bib. Or.* T. I. pp. 428, 475. et alibi passim.) Ita et ipsis applicatur titulus ܩܕܝܫܘܬܐ (Ib. p. 287, nota 1.) quemadmodum Abbatibus ille ܐܒܗܘܬܐ (Ib. p. 283.) Aliquando vero vox ܩܕܝܫܐ vere sanctitatis notionem gerit, aliisque praeter Episcopos tribuitur. (Cf. ib. p. 302.)

(19) Exempli gr. quae de *Paulo Telensi* tradit *Barhebraeus*, Syriace primum prolata fuerunt ex Cod. Bodleiano a *Brunsio* in *Eichhornii Repertorium* etc. T. VIII. p. 88. Cf. *Bugatum* in Praef. ad *Danielem secundum Edit. LXX. Intt.* Mediol. 1788. N. XII. p. XVII.

(20) Scilicet, primam partem T. II. p. 279, secundam vero p. 24.

*

membra in operibus sepulta quodammodo jaceant quae non passim nostrorum manibus teruntur, quale praesertim *Repertorium Biblicum et Orientale*, in quo *Brunsii* lucubrationes exquirendae; tandem quia Doctissimi *Assemani* Codex, quem ipse manifesti mendi arguit, a nostro optime corrigatur, ut notulas quas adjeci legenti patebit.

Alterum locum quem idem habet de versionibus Syriacis adjiciam; scilicet ex ejus *Historia compendiosa Dynastiarum*, sub *Abul-Pharagii* nomine, quam edidit Clarissimus *Eduardus Pocockius*, Oxoniae 1663. [21] Sic igitur habetur p. 100. textus Arabici.

وهذا النقل السبعينى هو المعتبر عند
علماينا . وهو الذى بايدى الروم وباقى فرق
النصارى خلا السريان وخصوصا [22] المشارقه
فان نسختهم المسماة بسيطة (التـرك
البلاغة فى نقلها [23]) تطابق نسخة اليهود
واما المغاربه فلهم النقلان البسيط المنقول

---

(21) In disceptationibus de celebri hoc loco *Abulpharagii*, saepius mirari contigit, neminem monuisse totum editum fuisse ab *Abraham Ecchellesi*, (In notis ad *Hebedjesu Catalogum*, Romae, 1653. p. 240) *decem* ante *Pocockianam* editionem annis, unde non est cur istius lectiones tam acriter nonnulli defendant. Varietatem editionis *Ecchellensis* dabo, quae *Codicis* auctoritatem sibi vindicat.

(22) Omit. و sed exprimitur in versione.

(23) Omittuntnr verba quae a textu segregavi.

من العبرى 24 الى السريانى بعد مجى السيد
المسيح فى زمان . ادى السليح وقيل قبله
فى زمان سليمان بن داو 25 وحيرم
وصاحب 26 صور السبعينى 27 المنقول من
اليونانى الى السريانى بعد ظهور المخلص
بزمان طويل ۞

Verba ista sic reddit laudatus Auctor. " Atque ea est Versio *Septuaginta* quam amplectebantur Docti nostri, estque eadem quae in manibus Romanorum est; caeterarumque Christianorum secta-

(24) Error typogr. pro العبراني quod habet *Ecchel.*

(25) Deest د ultimum, typographi errore: habet *Ecchel.*

(26) *Ecchel.* omittit و redditque in versione, *et Hiram Domini Tyri*, unde ante *Pocockium* ignota illa *Figurata* Versio. Sic legendum statuit, conjectura ductus, *Renaudot*, (*Perpétuité* etc. T. V. p. 545) quem reprehendunt *De Rossi*, (*Specimen ineditae et Hexapl. vers.* Parmae, 1778, p. 1.) et *De-Rossianam* diatriham recensens *Io. Dav. Michaelis*. (*Orientalische und exeget. Bibliot.* T. XIII. p. 150.) Defendit *Renaudotianam* lectionem erudite, ut solet, Clariss. *Silv. De Sacy*, (in *Eichhorns Allgem. Bibliot.* T. VIII. p. 588. nota,) confirmavitque litteris ad *Iahnum* datis, (*Iahn*, *Einleitung* etc. T. I. p. 204. signata per error. 203.) ex Codicibus quinque Parisiensibus, qui omnes و omittunt. *Eichhornius*, (*Einleitung* etc. ut supra, p. 460) et *Brunsius*, (*Dissertat. Gener. in Vet. Test... auctore B. Kennicott.* etc. Brunov. 1783. p. 181.) post *Michaelem* et *De-Rossium*, (Locc. citt.) solummodo in verbi صور interpretatione discrepant a *Pocockio*.

(27) *Ecch.* praemittit و cum tribus Codd. Paris.

rum, exceptis *Syris*, ac praesertim Orientalibus, siquidem eorum exemplar, quod simplex vocant, quod in ejus versione elegantiae ratio habita non sit, consentit cum exemplari Judaeorum. Occidentales autem duas habent versiones, Simplicem, quae ex *Hebraico* in *Syriacum* translata est post adventum Domini Christi, tempore *Addaei* Apostoli, vel, ut alii dicunt, tempore *Salomonis* filii Davidis et *Hiram*, [28] et Figuratam secundum *Septuaginta*, è *Graeco* in *Syriacum* traductam, longo post Incarnationem Salvatoris intervallo.„

Haec pene sola ex scriptoribus Syriacis deprompta sunt ad historiam Versionum Syriacarum consarcinandam, nec quidem facile luculentiora in quovis alio Scriptore invenientur; quum fuerit inter suos *Barhebraeus* ferme κριτικώτατος.

Sed toti huic nostrae investigationi praemittendum, non adeo Scriptorum verbis insistendum, ut statim ac *Versionem* nominatam audimus, vere distinctam versionem cogitemus; hoc enim solemne et Latinis et Graecis non minus quam Syris, *editiones* seu *recensiones* novas, *versionum* nomine decorare. Sic auctor *Synopseos Sacrae Scripturae*, Operibus *S. Athanasii* insertae, *Luciani* Recensionem LXX Intt. appellat ἑρμηνείαν seu *versionem*. [29] Sic quoque *Nicetas* eundem *Lucianum* Sacrum Codicem *transtulis*-

---

(28) Si vera sit lectio in notis adducta, reddi debent quae sequuntur, *Domini Tyri, et septuagintaviralem*, etc.

(29) Ap. *Humphred. Hodium*, *De Bibliorum Textibus Original*. etc. *Libri IV*. Oxon. 1715. p. 302.

se (μετατιθησιν) asserit; [30] *Euthymius* septem tales *versiones* nominat. [31] Et quidem si ad recentiores descendere velimus, Editores Romani versionis LXXviralis, huic versioni *opponunt* illam *Luciani*. [32]

De Latinis idem asserere licet; *Augustinus* enim innumeras recenset Latinas *versiones* ex quibus eam quam *Italam* nuncupat praeferendam ducit, quum tamen non improbabile sit, has potius *recensiones* esse; quod ex Patrum citationibus colligere facile videtur. [33]

Eadem plane ratione, Syri, quemadmodum qui urbes instaurant, hos earundem fundatores passim dicant, [34]

---

(30) Ib. p. 626.

(31) Ib.

(32) *Ed. Sixtina* Romae, 1587. Praef. circa initium. " His (Versionibus Symmachi, Aquilae et Theodotionis) ad itur alia quaedam editio S. Luciani ... valde illa quidem probata sed quae cum LXX Intt. comparari nullo modo possit. „

(33) Huic quaestioni agitandae non datur hic locus. Non certe me vincunt quae, de tot variis versionibus Latinis in Patrum scriptis, docent recentiores post *Mosheimium*. (*De Reb. Christianor. ante Constant. Mag. Commentarii*. Helmest. 1753. pp. 225. seqq. Nota *.) Animadvertendum puto, opinionem istam passim huic veluti auctori referri; (V. *Michael*. *Introd.* ut sup. T. II. Pa. I. p. 113.) sed ipsum saltem ratione temporis praecessit qui idem de Itala Patrumque citationibus sentiret, ex Anglis *Daniel Whitby*, qui *Italam* ut unicam receptamque versionem, appellat *imaginariam versionem*. (*Observationes philologico - criticae in quibus ... examinantur variae lectiones I. Millii in N. T. cum praef. S. Havercamp.* Lugd. Bat. 1733. L. I. §. I. C. V. p. 84; sed conferendum integrum Caput.)

(34) V. *Assem. Bibl. Or.* T. I. p. 26. nota. p. 196, et p. 395, nota 3.

ita et Versionum emendatores, novarum Auctores nonnunquam venditant, eorumque lucubrationes vocant *versiones*; vicissimque *Editionem* illud appellant, quod verae *Versionis* rationem et numeros jure possideat.

§. III.

De Versionis Peschito seu Simplicis Origine et Patria.

In varias partes abiisse Syros de hujus versionis origine et antiquitate ex *Barhebraeo* jam vidimus. Primas duas sententias, quae ex ipsis nonnullis arriserunt, non dicam confirmare sed vel veras suspicari risum forsan moveret, sunt enim oppido falsae ne impossibiles dicam. Plures enim voces continet versio ista, quae originem Graecam habent manifeste; Graecus autem sermo neque *Salomonis* certe neque *Asae* temporibus Syris auditus.[1]

Primam illam sententiam Syris maxime placere,[2] nemo mirabitur qui ipsorum ακϱισιαν cogitet, simulque venerationem qua erga hanc versionem affectos se praebent. Non vero eo usque inscitiae processerunt,

---

(1) *Eichhorn*, *Einleitung* etc. T. I. §. 247. p. 437.

(2) Eam amplectuntur *Gabriel Sionita*, (*Praef. in Lib. Psal. Syr.* Paris. 1625. p. b.) *Faustus Naironus*, (*Euoplia Fidei Cathol.* Romae, 1694, p. 387.) et ipse *Abraham Ecchellensis*. (in *Notis ad Bib. Chald.* in *Bibliot. Vat.* citat. a *Nairono, ib.* et in notis ad *Hebedjesu Catal.* Romae 1653. p. 238. seqq.) Rejicit cum doctioribus *Ambarachius* Operum *S. Ephr.* editor. (in *Praef.* ad Tom. II. p. XXIII.)

ut etiam libros Salomoni posteriores, ipsius aetate ex Hebraico translatos crederent, quemadmodum ipsos *Eichhornius* criminatur: [3] neque primum a *Gabriele Sionita*, sed longe ante a *Soadedo* Hadethensi Episcopo contra hujusmodi absurdum cautum fuit. [4] Quanam vero argumenti historici specie ducti, talem antiquitatem tribuunt isti versioni? Opinio antiquissima inter Syros videtur viguisse, maxime dilatatam fuisse Salomonis temporibus, Judaicam religionem cultumque sacrum; ita ut quicumque huic Regi amici legantur in sacro Codice, isti omnes ad Judaismum transiisse dicendi sint. Hinc Reginam Sabae Jerusalem invisantem, a Salomone ad veri Dei cultum perductam constanter affirmant. " Non solum Salomonis fama ipsam invitavit sed et Domini nomen, quippe quae Deum Salomonis cognoscere cuperet. „ [5] Ita *S. Ephraemus*, qui infra indubitanter asserit; ܐܠܦܗ̇ ܓܝܪ ܫܠܝܡܘܢ ܘܟܦܪܬ ܒܦܬܟܪ̈ܐ. ܘܐܘܕܝܬ ܠܐܠܗܐ ܚܝܐ " Docuit eam Salomon, renunciavitque simulachris, confessaque est Deum vivum. „ [6] Nec aliud innuit *Severus Antiochenus*, qui Reginam Sabae typum Gentium ad Christi religionem perductarum sistit. [7]

(3) Ubi supra p. 437.

(4) Apud *Sionitam*, lo. cit. Rectius ipsius nomen *Iesudad* (ܝܫܘܥܕܕ) effertur, qui dicitur ab *Hebedjesu* scripsisse ܦܘܫܩܐ ܕܟܬܒܐ (*Hebedj. Cat.* Ed. cit. p. 98, et *Assem. Biblioth. Or.* T. III. p. 211, pec. nota 4.)

(5) *Ephraemi Syri Opp.* T. I. p. 464, D.

(6) Ib. p. 465, E.

(7) Ib. p. 466.

Mirum igitur non erit eosdem Syros putare, Hiram Tyriosque tam arcto amicitiae vinculo cum Rege Judaico obstrictos, ejusdem cultum fuisse amplexos, quum praesertim de hac amicitia ea narret ipsa Sacra Historia, [8] quae etiam recentiores nonnullos in hanc sententiam traxerint. [9] Saepius, igitur, *Ephraemus* Ecclesiae Syriacae lumen, insinuare videtur, David et Salomon non solis benevolentiae officiis, sed et communis religionis persuasione sibi Hiram devinctum tenuisse. [10] Sed quid plura? *Jacobus Edessenus* tanquam rem satis cognitam narrat ܕܚܝܪܡ ܡܠܟܐ ܕܨܘܪ ܒܢܐ ܗܝܟܠܐ ܐܝܟ ܗܘ ܕܐܘܪܫܠܡ ܘܕܒܚܐ ܢܡܘܣܝܐ ܡܩܪܒ ܗܘܐ ܒܗ. " Hiram, scilicet, Tyri Regem aedificasse Templum illi Hierosolymitano simile, ibique sacrificia legalia obtulisse.,, [11]

(8) Cf. I. Reg. V, 7. II. Paralip. II, 5.

(9) Videsis *Parkhurst, Hebrew and English Lexicon*, etc. Ed. 7. p. 344. sub voce כרוב. Tyrios ritus sacros Iudaeorum fuisse imitatos putabat etiam, ut alios mittam, Doctissimus *Bochartus*. (*Geog. Sacra* col. 611. Ed. Lug. Bat. 1712.)

(10) Ita de Saule Patris asinos quaerente disserens, (ad I. Sam. IX. 4. *Opp.* T. I. p. 350. D, E.) terram Tyri appellat ܦܠܐܬܐ ܕܝܘܪܬܢܐ ܕܟܠܬܐ ܪܘܚܢܝܬܐ " figuram haereditatis Sponsae spiritualis;,, (Cf. supra pp. 29. seq.) et paulo infra, ܥܕܬܐ ܗܟܝܠ ܐܝܬܝܗ ܒܪܬܗ ܕܨܘܪ " Ecclesia igitur est Filia Tyri etc.,, Clarius etiam de ipso Hiram ejusque successoribus, tanquam legis Iudaicae desertoribus loquitur in *Comment. ad Ezech. XXVIII*; (T. II. p. 188.) sed locus integer conferendus.

(11) In *Epistola de antiqua Syrorum Liturgia* ap. *Assema-*

Hanc opinionem inter Syros, tamquam Sacro Codici innixam, pro certissima habitam, lateque promulgatam, sponte etiam alia sequebatur, Hiram Libros Sacros Hebraeorum cupide expetiisse, et suo suorumque usui accommodandos curasse; [12] qui enim religionem amplectitur colitque, iste certe libros venerabitur, ex quibus tota pendet et praeceptorum observantia, et sacrorum religio, quique, prout inspirati a Deo, ipsius Religionis pars magna censendi sunt. Porro Syri Versionem suam antiquissimam esse cognoscentes, *occidentalem* originem, ex traditione nescio qua, [13] ipsi tribuentes, dialectoque a Phoenicia non absimili conscriptam putantes, facili ratione seduci potuerunt, ut simplicem illam, quam tantopere venerabantur versionem, ipsam eam esse concluderent, quam ab Hiram effectam credebant.

Secunda opinio nullos, quos viderim, patronos inter Syros nacta est; omni enim probabilitatis specie destituitur, neque fundamentum historicum vel minimum jactat, nisi tale dicas quod ex SS. LL. compertum habemus, Sacerdotem Samariae incolas legem Mosaicam docuisse; unde et ipsi versionem aliquam librorum Sacrorum habuisse dicendi sint. Quod quidem quam elumbe sit argumentum, quantumque

---

num. (*Bibliot. Orient.* T. I. p. 480. ima.) Eadem *Iacobi* verba repetuntur a pseudo-*Marone* seu *Dionysio Barsalibeo*, in *Cod. Liturg. Ecclesiae Universae* Lib. IV. Pa. II. Romae 1752. p. 240.

(12) Nec vero clare sensisse Syros de differentia Hebraicum inter et Aramaeum sermonem, antiquis temporibus, satis patet ex iis quae, hac super re, tradit *Sobensis* (*Hebedjesu*) ab *Assemano* adductus. (*Bib. Or.* T. III, p. 314.)

(13) De qua infra.

absit ut Syrorum versionem Simplicem historia ista attingat, nemo est qui non videat.

Ultima tandem opinio, quam amplecti videntur ipse *Barhebraeus* [14] et *Jacobus Edessenus*, [15] in altiori saltem probabilitatis gradu constituitur. Fuisse enim *Adaeum* primum Ecclesiae Syriacae Apostolum consentiunt omnes sive Graeciae sive Syriae Scriptores. Primum vero Ecclesiae saeculum versionem istam antiquitate adaequasse docet " traditio generalis Ecclesiarum Orientalium, cui multum in hoc tribuendum. ,, [16]

Ex hac sententia alia enascitur quaestio, cujusnam *religionis* fuerit auctor versionis Syriacae, quae tunc temporis facta fuisse perhibetur. Quod Judaeorum religio fuerit inter Syros, ante Christi tempora, cognita, supponunt necessario narrationes istae de versionibus Codicis sacri; et quidem si vera sint vel saltem ex vero efficta quae de prima Edessenae Ecclesiae fundatione circumferuntur, non minus eandem sententiam probabilem reddunt. Namque Epistolare commercium Christum inter et Abgarum, quod tam miro consensu tradunt post tertium saeculum Syri, tanquam rem publicis monumentis confirmatam, [17] mirabilis illa etiam Edessenae Urbis

(14) In *Historia Dynastiarum*, cit. supra p.

(15) Loco mox aducendo, p. 103.

(16) Ita *Waltonus*, *Proleg.* XIII. p. 90. N. 15.

(17) Ut talem, et quidem a se ex Syriacis transcriptam, rem narrat *Eusebius*, (*Hist. Eccles.* L. I. C. XIII. et L. II C. I.) cujus tanta fides est ut genuinum commercium ipsum crederet *Cave*. (*Scriptorum Ecclesiasticorum Historia Literaria*, Lond. 1688. p. 2.) Hanc historiam narrant, *Cedrenus* (ab ipso cit.)

conversio ad Christianam religionem, a qua nunquam descivit, ita ut Urbs Sancta et haberetur et diceretur,[18] homines supponit jam ad novam Religionem praeparatos, vix vero idololatriae tenebris immersos.[19] His accedunt quae narrant Scriptores, primam Edessenorum Ecclesiam ad normam Hierosolymitani Templi aedificatam fuisse;[20] immo in *Eusebii* narratione nomina plane Judaica deprehendimus, quale illud *Tobiae*, alterius *Tobiae* filii quocum *Adaeus* hospitium

---

Darius Comes, (*Ep. ad Augustin.* ap. *Cave* ubi sup.) aliique. Inter Syros, *Ephraemus*, Ecclesiae Edessenae diaconus, (in *Testamento*, ap. *Assem. Bib. Or.* T. I. p. 141.) *S. Iacobus Sarugensis*, (in opere *De Adaeo Ap. et Abgaro Rege*, ib. p. 318.) *Chronicum Edessenum*, (ib. p. 4.0.) *Amri* ex *Ioanne Eutychii Alexandrini* continuatore, (in *Histor. Patriarchar.* Arabice conscripta, ap. eund. T. II. p. 393.) *Barhebraeus*, (in *Chronico*, ib. p. 392.) tandem *Anonymus* cujus hac de re opusculum Arabicum in Biblioth. Vatic. asservatur. (V. eund. T. III. p. 392.) *Bayeri Historiam Osrhoenam* videre non mihi hactenus datum, unde nihil mirum si eam non citem.

(18) Ita *Ephraemus*, (ubi supra, et in *Carmine de Edessae laudibus*, inserto ejus *Vitae* praefixae Tomo III. p. LVII.) *Iosue Stylites*, (*Praef. in Chron.* in *Biblioth. Or.* T. I. pp. 261, 278.) et *Chron. Edess.* (ib. p. 417.) quod Edessam solo ܡܒܪܟܬܐ seu *benedictae* nomine esignat. Narrat *Eusebius*, Edessenos post primam conversionem numquam defecisse. (L. II. C. II. T. I. p. 43. Ed. Taurin. 1746.)

(19) Constat primas Ecclesias ferme omnes ortum habuisse ex Synagoga. Inter alias Asiae gentes propagatam fuisse religionem Iudaicam probabile est, de Arabibus hoc certum. Cf. *I. G. Heyne*, (*De Ethnarca Aretae Arabum Regis Paulo insidiante*: 1755.) et quae promit ex *Abulfeda*, *Michaelis*, (*Introd.* etc. T. I. p. 56. Ed. cit.)

(20) Vide eundem *Michael.* ubi supra; T. II. p. 28. nota; *u.*

habuisse narratur. [21] Porro si certum esset, inter Edessenos, aliosve Syriae populos propagatum fuisse, ante Cristum passum, cultum religionemque Hebraeorum, nulla prorsus ratione repugnaret ipsos versionem Sacri Codicis habuisse, ut habuerunt Alexandrini; sed tamen forsan criticis argumentis constat, *Christianam* originem *Peschito* nostram sibi vindicare. [22]

Si de Religione Auctoris hujus versionis nihil certi habeatur ex historia, neque magis secure de ejus patria judicare possumus. Primo quidem aspectu, vero simile apparet Edessam Peschito nostrae natalia dedisse; e contra vero, quantum ex Auctoribus Syris conjicere licet, patria ipsi danda Syria Occidentalis seu Palaestina. Tres enim illae Syrorum hypotheses quas recensui, continent subobscurum quoddam vestigium hujus sententiae. Quod, quum de duabus primis satis constat, de tertia illa non est minus certum. Esto enim Syros *Adaei* et *Abgari* curis versionem istam tribuere, putant tamen istos legatos misisse in Palaestinam qui illam ibi conficerent. Hoc narrat *Jacobus Edessenus*, cujus locum nobis servavit, suo calculo confirmans *Gregorius Barhebraeus*. Hujus verba ex codice Vaticano transcripseram, non advertens ipsa jam fuisse a *Waltono* praeoccupata: [23] pu-

(21) Ubi sup. p. 37.

(22) *Eichhorn*, *Einleit.* etc. p. 445. Eam, quidem, Iudaei opus fuisse putat *Ricard. Simon*, (*Histoire Crit. du Vieux Test.* 1680. p. 305.) titulosque Psalmorum qui plane Christiani sunt, secundae manus opus judicat. (Ib. p. 309.) Cf. tamen Ps. LV, 15, et CX, 3.

(23) Ubi sup. p. 91.

to tamen non abs re fore prout transcripsi ea integra proferre . Sic igitur *Barhebraeus* in Ps. X. agens .

ܝܘܢܝܐ ܕܝܐܦܣܠܡܐ ܒܪܫ ܦܠܓܘܬܐ ܡܙܡܘܪ ܬܫܝܥܝܐ:
ܝܥܩܘܒ ܕܐܘܪܗܝ ܐܡܪ ܡܦܩܢܐ ܗܢܘܢ ܕܐܫܬܕܪܘ
ܡܢ ܐܕܝ ܫܠܝܚܐ. ܘܐܒܓܪ ܡܠܟܐ ܕܐܘܪܗܝ
ܠܦܠܣܛܝܢ ܘܐܦܩܘ ܟܬܒܐ ܡܢ ܒܬܪ ܦܬܓܡܐ
ܗܘ ܕܢܕܥܘܢ ܥܡܡܐ ܕܒܢܝ ܐܢܫܐ ܗܢܘܢ ܕܝܐܦܣܠܡܐ
ܐܚܫܒܘ ܠܡܙܡܘܪܐ ܕܥܣܪܐ ܫܘܪܝܐ ܕܐܝܬܘܗܝ ܗܘ
ܕܘܟܬܐ. ܘܒܟܠܗܘܢ ܡܢ ܨܚܚܐ ܥܒܪܝܐ ܚܠܦ
ܕܝܐܦܣܠܡܐ ܒܟܠ ܐܡܝܢ ܡܬܐܡܪ܀

"Graecus textus διαψαλμα *habet* : in *nonnullis* exemplaribus *est* divisio Psalmi noni . *Jacobus Edessenus* dicit , interpretes illos , qui missi sunt ab *Adai* Apostolo , et *Abgaro* Rege Osrhoeno in Palaestinam , quique verterunt Libros *Sacros* , quum , post versum illum *ut sciant populi quod sint homines* , invenerint διαψαλμα , putasse Psalmum decimum esse locum illum : at in omnibus exemplaribus Hebraicis pro τῳ διαψαλμα , *omni tempore* (סלה) exprimitur . „ [24]

Ad haec verba plura animadvertere liceret , sufficiat tamen notare *Jacobum* et ex ipso *Barhebraeum* , pro re vulgata tradere hoc interpretum iter in Palaesti-

---

(24) Cod. Vat. supra descripti fol. 84. *verso* .

nam, eoque uti ad difficultatem explanandam in textu Syriaco. Tum et illud notatu dignum, ex mente *Jacobi* adhibuisse interpretes (non *unum* sed *plures*, quos etiam nominat *Ephraemus* infra laudandus,) textum Graecum, in quo solo vox διάψαλμα occurrere poterat, non quidem ut versionis prototypum, hoc enim *Jacobus* nunquam suspicatus est, [25] sed ut ex eo obscura loca illustrarent: nec video quare hypothesis ista admitti non possit, ad explicandam, *saltem ex parte*, [26] cognationem quam passim invenimus inter Peschito et Alexandrinam versionem.

Opinionem istam de origine occidentali inter Syros invaluisse varia confirmant; et quidem primo quae narrat *Barhebraeus* de inventa versione ab *Origene* apud mulierem viduam: haec enim verba, quae recentiores nonnullos, alibi censura notandos, in errorem induxit, innuere videntur versionem illam quam invenit Hierichunte [27] *Origenes* nullam aliam fuisse nisi Syriacam.

---

(25) *Jacobum* enim linguam Hebraicam calluisse ostendunt et Syrorum testimonia, et quod ipse in Sacrum Codicem impendit studium tam Criticum quam Exegeticum.

(26) Cognationem istam non ex hac sola causa originem trahere satis demonstrasse puto *Eichhornium*. (*Einleit.* etc. ut supra, pp. 451, seqq.) Adducit enim Chaldaicam paraphrasin in Proverbiorum librum, quae versionis nostrae filia est, nec non *Barhebraeum*, qui Hebraicae veritati conformes sunt, quum hodierna Peschito Exemplaria ab ipsa, ad Graecum interpretem sectandum, declinant. His in locis, posteriori aetate, mutationem ipsam passam esse constat. Alibi vero *Ephraemi* textus, in defectibus istis cum textu recenti conspirat.

(27) Quae de versione ab *Origene* inventa tradit *Barhebraeus*, ad *textum Hebraicum* transfert Cl. *Assemani*, (*Bib. Or.* T. II. p. 279.) invito prorsus contextu, et renitente constructione gramma-

Ad hoc forsan inductus est ex eo quod videret a Patribus Graecis, praesertim ab Hexaplis, citatum *Syrum*, (ὁ Συρος[28])putaretque hanc necessario esse versionem illam cujus inventionem narrat *Eusebius*. Nihil moror hunc de *vidua* habere ne γρυ quidem, habere vero de *dolio*,[29] et quae narrat nihil habere cum versione Syriaca commune; tamen vix *Barhebraeus* aut qui hujus sententiae ipsi auctor fuit, locum istum legens, de Peschito sua cogitasset, nisi jam de ejus origine occidentali sententiam amplexus fuisset.

---

tica; dicit enim Auctor, versionem istam conformem esse Hebraico, *et* inventam etc.; neque vero suffixum foem. ܗ verbi ܐܫܟܚܘܗ ad aliud commode nisi ad ܡܦܩܬܐ referri potest. His adde *Eusebium* nihil unquam narrare de textu Hebraico ab *Origene* reperto, narrare vero de versionibus.

Quamvis vero ab *Eusebio* (lo. citando) variae versiones inventae dicantur, maxime probabile videtur *Barhebraeum* de illa Hierichuntina cogitasse. Nam ut illud taceam ipsum nunquam de Actio tanquam suae versionis patria somniare potuisse, ipse expresse *quintam* (Actianam) et *sextam* versionem a Syriaca distinguit, non minus quam illas *Aquilae*, *Symmachi* et *Theodotionis*. *Septima* igitur est, quam cum Syriaca confundit *Barhebraeus*, ad quam ea retulit quae tradit *Eusebius*.

(28) Hanc revera esse vel nostram Simplicem, vel Graecam versionem ex ea expressam putarunt, *Bernardus Montfaucon*, (*Praeliminar. in Hexapla Orig.* Cap. I. §. 8. pp. 19, seq.) et non improbabiliter *Jo. Gottl. Carpzovius*. (*Critica Sacra*. P. II. C. V. Lips. 1748. p. 624.) De *Syro* pariter in Append. ad Librum Job, in LXXvirali interpretatione nominato, idem conjecit *Eduardus Pocockius*. (*Comment. in Prophet. Joelis etc.* Lips. 1695. *Praefat. general.* pp. 13. seqq.) Sed cf. *Eichhornium*. (ubi sup. p. 441.)

(29) *Hist. Eccles.* L. VI. Cap. XVI. T. I, p. 240. Ed. cit.

Accedit et aliud momentum, quod, quamvis non magni ponderis; poterit tamen *Barhebraei* mentem, hac de re, aperire. Ipse, nimirum, saepius versionem istam impurioris et rudioris Syriasmi insimulat. Exempla ex ejus Grammatica deprompsit *Assemani*, non solum locorum a textu Hebraico, ex ipsius mente, discrepantium, sed et aliorum quae dialectum sapiant minus perpolitam et elegantem. [30] Exemplis istis aliud adjungam ex ipsius *Thesauro Arcanorum*, in quo sic versionem perstringit; [31]

ܐܡܪܘ ܒܠܒܝܟܘܢ ...... ܘܐܝܟ ܡܘܕܐ ܒܪܡܓܩܘܣ
ܒܠܒܘܬܟܘܢ ܐܝܟ ܗܘܐ ܕܐܡܪ ܡܛܠ ܕܠܒܘܬܐ
ܐܡܪܝܢ ܘܠܐ ܠܒܐ. ܘܗܕܐ ܚܕܐ ܡܢ ܣܗܕܘܬܐ.
ܕܒܘܪܘܬܐ ܡܦܩܬܐ ܗܕܐ ܦܫܝܛܬܐ ܀

" *Dicitis in cordibus vestris*; (*b'lebaicun*.)... At, juxta regulam grammaticam, *b'lebauothcun* efferri deberet; nam *lebauotho* dicimus, non vero *lebe*; et hoc, unum est ex testimoniis ad probandam inelegantiam versionis istius Simplicis.,, Porro ipse *Barhebraeus* nobis diserte tradit tres fuisse Linguae Syriacae dialectos, quarum illa elegantia praeeminebat, quae Edessae et in tota ulteriori Syria vigebat, illa vero impurior, quae usurpabatur a Palaestinae Libanique incolis. [32] Hinc conjicere forsan

(30) *Biblioth. Orient.* T. II, pp. 279. seqq.

(31) In Ps. IV. 5. Cod. Vat. fol. 82.

(32) In *Hist. Dynast.* p. 16; et in *Scholiis ad Grammat. suam metricam*. (*Assem. Bib. Or.* T. I, p. 476.)

liceret *Barhebraeum* ad hanc potius quam illam, referre voluisse Syriacam versionem.

§. IV.

De aetate Versionis Simplicis. Confutantur Hypotheses BRANCAE.

His igitur ex Syris, quantum licuit, per spicilegium collectis, quo constaret ipsorum sententia de origine versionis istius, ad aliam quaestionem descendamus, quae de ipsius *aetate* instituitur. Hac de re in varias satis partes abierunt eruditi. Nonnulli versionem, *Ephraemi* temporibus posteriorem putaverunt; [1] alii paulo ante ipsum effictam, ita ut

(1) De versione edita N. T. hoc putasse *La Crozium* certum est; credebat enim hanc non esse antiquam *Peschito* sed versionem *Philoxenianam*, quippe quae a *Mose Mardinensi* viro *Monophysita* in Europam advecta fuerit. " Je crois que c'est celle (*Philoxeni versio*) que nous avons aujourd'hui, et qui a été prémierement imprimée à Vienne par *Widmanstadius*. „ etc. (*Histoire du Christianisme d' Ethiopie*, p. 39.). Et alibi; " Mihi certo constat, illam versionem, quae toties edita est, valde differre a versione antiqua et primaria quam ܦܫܝܛܬܐ seu simplicem vocant .... *Xenajas Mabugensis* ... auctor est illius *versionis Syriacae* quam hodie prae manibus habemus. „ (*Thesaur. Epistolicus* T. III. p. 282.) Mirum quidem virum adeo doctum vel ante editam versionem *Philoxenianam* sic potuisse errare. Quidquid vero sit de primis hujus versionis editoribus, certum est; I. versionem ipsam, prout edita est, indolem non *Monophysiticam* sed potius *Nestorianam* redolere. Hoc viderunt, exemplisque comprobarunt *Steph. Evod. Assem.*, (*Cat. Bib. Ap. Vat.* P. I. T. II, p. 188.) et *Jac. Georg. Adler*, (*Novi T. Versiones Syriacae* etc. pp. 39,

ab ipso, seu saltem ipsius auctoritates, primum fue-

---

seqq.) uterque Clarissimus; et tam clare constat, ut lectiones magis Nestorianis faventes tanquam genuinas, Codicesque Malabarenses tanquam magis sinceros jactet *Gibbon.* (*History of the Decline and Fall.* C. XLVII. nota 35. Ed. Basil. 1789. T. XIII. p. 124.) II. Nec minus certum, omnes Christianos sive nostri sint, sive Nestoriani sive tandem Jacobitae, in hac versione, quam editam habemus, pro authentica veneranda, et publice praelegenda consentire. Contrarium quidem asserit *La Crozius*, (lo. primo sup. cit.) sed diserte contradicit *Barhebraeo*, tam in loco ex *Thesauro Arcan.* ante editam Historiam illam Christianismi, ab *Assemano* vulgato, (*Bib. Or.* locis cit. in notis ad §. II.) ubi asserit omnium Syrorum manibus versionem illam teri, quam ipse, utpote qui Monophysita, parvi pendet, et *a Philoxeniana clare discernit*; (V. supra p. 91.) quam in *Historia Dynastiarum* a *Pocockio* longe ante edita. (V. supra p. 94. In hoc etiam passim consentiunt recentiores. (Cf. *Michael.* lo. cit p. 31, *Eichhorn.* lo. cit. pp. 441. 447.) Non quidem me latet locum quem, tacito auctore, profert *La Crozius* (*Histoire* etc. *ubi sup.*) ex *Assemano* desumi; (*Bib. Or.* T. II. p. 24.) qui, quum protulisset Jacobitam nescio quem asserentem Syros omnes, sive Catholicos sive cuivis sectae addictos, in Philoxeniana versione usurpanda consentire, ipsum mendacii arguit, monetque *solos Jacobitas in Ecclesia eam legere*. *Assemano* (nae quali in Syriacis viro!) me opponere vix audeo; liceat tamen ut tamquam homunculus unus de plurimis dubia hac de re proponam. I. Nonne verba illius Jacobitae minus accurate reddidit vir doctus, dum eum inducit asserentem, etiam Nestorianos, etiam Maronitas versionem versare Philoxenianam? Nonne potius voces illae التى طيبه على كل من significant, ipsam *se probare* omnibus qui Evangelium Syriace legunt? II. Certissimum est, in suis Commentariis, Jacobitas sequi versionem *Simplicem*. Hoc monet de *Barhebraeo* ipse *Assemani*, (*Bib. Or.* T. II. p. 283.) idemque ego deprehendi in *Commentario ad Mat.*, *Georgii* Jacobitarum Patriarchae, zelo pro secta sua conspicui, (V. *Biblioth. Orient.* T. II. p. 340.) qui asservatur in Cod. Vat. nunc CLV. Commata plurima contuli ex V. Cap. Matthaei cum versione utraque; invenique a Philoxeniana discrepantia, Simplici vero convenientia. En exemplum, ex comm. 21.

rit in Ecclesia Edessena usurpata ; [2] alii tandem vel *primi* aerae Christianae saeculi , Syrorum menti consentientes , vel saltem *secundi* , foetum judicarunt . [3]

Georgius . ܡܦܩܢܘܬܗ ܕܐܬܠܡܣܝܢ	*Philoxen.* ܡܦܩܢܘܬܗ ܕܐܬܠܡܣܝܢ
ܠܡܫܝ̈ܚܐ ܕܠܐ ܐܬܦܠܓܘܬ ܘܐܬܦܠܓܘܬ ܘܡܦܠܓܘܬ	ܠܡܫܝ̈ܚܐ ܠܐ ܐܬܦܠܓܘܬ . ܗܘ ܕܝܢ
ܡܫܝܚ ܗܘ ܠܡܚܝܐ . ܐܢܐ ܕܝܢ ܐܡܪ	ܕܡܦܠܓܘܬ ܡܫܝܚ ܐܬܚܙܝܗ ܠܡܚܝܐ .
ܐܢܐ ܠܟܘܢ ܕܥܠ (ܡܢ *Widmans* .)	ܐܢܐ ܕܝܢ ܐܡܪ ܐܢܐ ܠܟܘܢ ܕܥܠ ܡܢ
ܕܢܦܩܐ ܠܐ ܐܢܫܘܬܗ ܐܣܘܬ ܡܫܝܚ	ܕܢܦܩܐ ܠܐ ܐܢܐ ܕܠܗܘ ܐܣܘܬܐ
ܗܘ ܠܡܣܝܐ ❖	ܡܫܝܚ ܢܗܘܐ ܠܡܚܝܐ ❖

Vox ultima manifeste mendum pro ܠܐܕ , ut patet ex *Georgii* Commentario in quo velut si ܠܡܚܐ haberetur , eam exponit .

Fullerus et post eum *Grotius* et *Vossius* versionem Simplicem ad VI. vel VII. saeculum demandarunt . (*White* , *Praefatio ad Vers. Philox.* p. VI.) His, post *Fabricium*, consensit *Wetsteinius* . (*Proleg.* p. 109.) Versionem vero Veteris Foederis *Ephraemo* recentiorem probare conatur *Joannes Bap. Branca* , de quo plenius in textu disserendum .

(2) Ita *Al Tacriti* , (ap. *Pocockium* ubi sup. p. 29. signat. lit. *c.*)

(3) Tales *Editor Operum Ephraemi* , (Cit. nota 2. p. 96.) *Walton*, (*Proleg. XIII.* p. 90.) *Carpzovius* et *Pocockius* , (locis cit.) *Assemani*, (*Bib. Or.* T. II. p. 24.) et *Jo. Dav. Michaelis* cujus verba haec sunt . *Die Uebersetzung der meisten Büchern ist, so viel ich zu urtheilen weiss , dem ersten Jahrhundert* . (*Neue Oriental. und Exeget. Bibliothek*, T. IV, p. 40.) De Novi T. versione eandem sententiam habuit, quam quidem potius doctis conjecturis conatur fulcire quam argumentis : (*Introd.* T. II. P. I. pp. 29.-38. Cf. *Marshii* castigationes , ib. P. II. pp. 551-556.) non ita tamen ut putaverit ab *Apostolico viro* qualis *Adaeus* ipsam originem jactare.. (*Comment. de Battologia* §. VIII. in , *Syntagma Comment. Pars, Sec. Goett.* 1767. p. 70.)

Potuisse quidem antiquitus quaestionem agitari de usu versionis Simplicis *Ephraemi* temporibus, proindeque potuisse etiam dubia moveri de ipsius versionis ante ejus aevum existentia, nemo sane mirabitur, qui progressus litterarum Syriacarum respiciat. Ante enim editam *Bibliothecam Orientalem*, ex qua, veluti ex quodam promptuario, qui ista studia tractant, tot eruditionis thesauros depromere possunt, et ante edita *Ephraemi Opera*, Romanorum Pontificum beneficio, quibus ut nemini alii, Syriacae Musae perpetuas grates persolvere debent, ante haec inquam, praeter versionem Librorum SS. nihil fere studiosis obviam erat quo de lingua et philologia Syriaca aequum judicium ferre possent. Post vero vulgata, non jam excerpta quaedam ex *Ephraemo*, sed integra ejus Opera, quisnam vel suspicaretur, adhuc poni litem posse, de convenientia seu discrepantia versionis qua ipse usus, cum nostra Peschito? Quid facilius quam collationem inter utramque instituere, quum praesertim, integra fere capita in *Ephraemi* Commentariis inveniantur?

Sed tamen et hoc revera evenit, idque non ab homine vulgari factum, sed a viro sacra profanaque eruditione conspicuo, *Joannem Baptistam Brancam* dico, in opere, *De Sacrorum Librorum Latinae Vulgatae Editionis auctoritate*, etc. cujus primus Tomus Mediolani lucem aspexit, Anno a Christo nato 1781, secundus vero plane mancus absque titulo editus est. Iste igitur, quum sibi propositum haberet vulgatum Interpretem Latinum, omni ut par erat laudis genere cumulare, neque senioritatem inter Christianas versiones illi negandam putavit. Ast

obstabat quodammodo venerabilis illa Peschito; — quid vero opus multis erat? Non contentus hoc, quod doctissimus *Simon* jam fecerat, ut in tanta eruditorum de hujus origine contentione, negaret satis solida prolata esse argumenta pro majori Syriacae metaphrasis antiquitate, [4] eo se accinxit, ut illam non modo veteri illo Latino interprete recentiorem, sed et *Ephraemo* posteriorem demonstraret. Magnam quidem vim eruditionis ille ad hoc congessit, plurima, et scite et acute tetigit, in nonnullis etiam emuncto satis nare vera suboluit, sed, quid plura? illam methodum renuit qua sola, his in causis, possit veritas deprehendi. Esto igitur, quod ille vehementissime contendit, primum illum Commentarium in Genesin, qui sub *Ephraemi* nomine editus est, solum esse genuinum, eumque supputationem, a Syriaca diversam, sectari, [5] esto etiam obscura nonnulla in primo Geneseos commate extare, quae commentatorem potius quam interpretem sapiant, [6] esto tandem in *uno et altero*, quem profert, loco, variantes lectiones *Ephraemum* inter et Peschito inveniri, [7] haec ét his similia nunquam, quod initio disputationis statuit, comprobabunt, non posse versionem, saeculo IV. esse antiquiorem. [8] Nam re-

(4) *Histoire Critique du N. T.* Rotterd, 1690. p. 162.
(5) T. II. pp. 219, seqq.

(6) Ib. pp. 193-213. De voce ܡܪܚܦܐ per viginti paginarum spatium critice, exegetice et philologice disserit! Siccine dirimuntur quaestiones quas tractat?
(7) Ib. p. 191.
(8) Ib. p. 181: conf. p. 250.

quiritur ad hoc perpetua fere utriusque textus collatio, in qua, sedulo distinguenda quae inter disserendum παρόδως profert auctor ex Sacris libris, quaeque memoriae viribus fidens, carptim et intercisis quodammodo membris, suis verbis intexit, ab iis quae commentaturus, clare, et extense, lectorum seu auditorum mentibus submittit.

Porro ex hujusmodi collatione satis constat textum quem adhibebat *Ephraemus* ab hodierna Peschito vix abhorrere. 9 Collationem istam saepius institui, nec majorem inveni inter utrumque discrepantiam, ea quam inter Patres textumque Graecum deprehendere passim licet. Criticorum operae munus hoc relinquo, locum unum tantum speciminis gratia proferens pene invitus, ex Jud. XIV. 18,

S. Ephraem. T. I. p. 325, A.	*In Bibliis Polyg. Lond.*
ܘܐܡܪܝܢ ܐܢ̈ܫܐ ܩܪܝܬܐ	ܘܐܡܪܝܢ ܐܢ̈ܫܐ ܩܪܝܬܐ
ܒܝܘܡܐ ܕܫܒܥܐ... ܡܢܐ	ܒܝܘܡܐ ܕܫܒܥܐ... ܡܢܘ
ܗܘ ܕܚܠܐ ܡܢ ܕܒܫܐ: ܘܡܢܐ	ܕܚܠܐ ܡܢ ܕܒܫܐ. ܐܘ ܡܢܘ
ܗܘ ܕܥܫܝܢ ܡܢ ܐܪܝܐ.	ܕܥܫܝܢ ܡܢ ܐܪܝܐ. ܐܡܪ
ܘܐܡܪ ܫܡܫܘܢ ܠܗܘܢ	ܠܗܘܢ ܫܡܫܘܢ. ܐܠܘ ܠܐ
ܦܠܚ̈ܬܐ ܐܠܘ ܠܐ ܚܪܬܬܘܢ	ܚܪܬܬܘܢ ܒܥܓܠܬܝ.
ܒܥܓܠܬܝ ܠܐ ܦܫܩܬܘܢ	ܠܐ ܦܫܩܬܘܢ ܐܚܝܕܬܝ܀
ܐܚܝܕܬܝ܀	

(9) Condonabunt mihi viri docti si *Spohni* opera nunquam citem; scilicet, *Collatio Versionis Syriacae quam Peschito* ve-

In hoc commate pauca sunt in quibus uterque textus discrepat: scilicet - *Pesc.* ܡܢܘ , *Eph.* ܡܢܐ ܗܘ ; *Pesc.* ܐܘ , *Eph.* ܘ ; *Pesc.* ܠܗܘܢ *Eph.* ܠܟܠ ܦܩ̈ܕܢܐ Hae quidem *Brancae* graviores discrepantiae sunt, tales enim ipse profert: sed audi alteram partem. Uterque inserit nomen ܫܡܫܘܢ quod tamen in nullo Codice Hebraico hodie invenitur, habetur tamen in Alexandrina versione. Sed quod rem penitus conficit est phrasis illa ܫܪܓܬܘܢ ܠܝ ܥܓܠܬܝ *blanditi fuissetis vitulae meae*, qua redditur Hebraicum חרשתם בעגלתי *aravissetis vitula mea*; in qua versione, cuinam non constat impossibile fuisse ut Interpretes duo conspiraraverint; nec quidem in ulla alia versione invenitur, si solam Arabicam excipias, Syriacae nostrae vestigia prementem.

Sed haec virum doctum nihil movent. Conspirare utrumque, si lubet, demonstres; ipse conspirasse dabit; - at praecessit *Ephraemus*. Quo pacto? Scilicet qui versionis quam tractamus auctor fuit ita eam laciniis inter se assutis ex scriptis *Ephraemi* concinnavit, ut ipsam illius Syriacae Ecclesiae Solis pedissequam quodammodo fecerit, unde quae in ipso citantur Sacri Codicis loca, ea omnia, ab ipso pene translata, in vulgata illa Syriaca reperiantur.[10]

---

cant, etc. Lips. 1785. et Wittenb. 1794, nec non, *De ratione textus Biblici in Ephraemi Syri commentariis obvii*, etc. Lip. 1786. In nostris Bibliothecis non extant, neque ea tractare hactenus mihi licuit.

(10) Ubi sup. pp. 214, seqq. nec non pp. 193. seq. 254.

Qui sic argumentatur, se in *Ephraemi* operibus parum versatum ostendit.

Ex his enim patet, *Ephraemum*, non directe ex Hebraico Sacros textus transferre,[11] sed versionem jam existentem jamque vulgatam semper citare.

I. Hoc ex eo patet quod verba plurima, quae profert in textibus, tanquam obscura et obsoleta aliis phrasibus explicet. Exempla omnia infra, aliud agens, in unum collecta dabo. Porro quis commentando ita verteret, ut suam ipsius versionem mox obscuritatis nota signaret?

II. Aliquando *Ephraemus* textus quos citat, *non solum ab Hebraico differre asserit, sed et aliquando ab Hebraico et Graeco*: his in locis ex quonam fonte ipse transtulerat? Accipe igitur exempla. Ad II. Sam. XIX, 36, citat versionem Syriacam legentem: " Audire non possum vocem ingenuorum,, etc, (quippe quae pro שָׁרִים, legerat שָׂרִים) subjungitque;

ܒܥܒܪܝܐ ܕܝܢ ܐܡܪ ܩܠ ܙܡܪ̈ܐ, " Textus vero Hebraicus habet, *vocem cantorum*.,,[12] Ita et ad Caput VI. Amosi, v. 1. post lectionem Syriacam affert utrumque textum Hebraicum et Graecum.[13]

III. Sed quid plura? Ita aliquando Syrum ad Hebraicam veritatem examinat, ut et diserte testetur se versionem jam notam adhibere, et *versionis* etiam nomine utatur, et hujusmodi tot habet ac tanta,

---

(11) Quod tamen probare satagit Cl. *Branca* pp. 235. seqq.
(12) T. I, p. 423, A.
(13) T. II, p. 263, C.

ut mirum qua ratione viri docti aciem effugerint. Sic, ad Genes. IX, 9, probare quaerens Mosen tres quadragenas jejunasse, haec habet; ܐܨܛܠܝܬ ܕܐܡܪ ܕܨܠܝܬ ܕܨܡܬ ܟܬܝܒ ܒܥܒܪܝܐ. " Ubi enim DICIT, (quisnam nisi interpres ?) *oravi*, in textu Hebraico scribitur, *jejunavi*. ,, [14]

ܢܩܕܐ ܕܗܪܟܐ ܐܡܪ ܒܟܬܒܐ ܫܡܐ ܗܘ ܕܡܢ ܥܒܪܝܐ ܢܣܒܗ ܘܐܬܦܪܫܗ ܩܢܝ ܓܙܪܐ ܕܥܢܐ ܗܘܐ ܕܡܪܒܐ ܗܘܐ ܣܘܓܐܐ ܕܒܥܝܪܐ. " Vox ܢܩܕܐ quam *hic exprimit* Scriptura, nomen est quod ex Hebraico derivat, significatque gregum dominum; qui nimirum plurima pecora alat. ,, [15] Si de textu originali agat, vox non origine, sed patria Hebraica est.

Iterum; ܚܙܘܐ ܕܝܢ ܕܒܙܩܐ ܕܐܡܪ . ܗ̄ ܕܐܝܟ ܐܠܗܝܬܐ ܕܒܪܩܐ ܐܘ ܐܝܟ ܟܘܟܒܐ ܕܪܗܛ.

" Aspectus autem ܒܙܩܐ quem DICIT ,, (In textu Hebraico habetur בזק) " significat, quod instar coruscantis fulguris est, aut stellae decurrentis. ,, [16] Haec, credo satis demonstrant *Ephrae-*

---

(14) T. I, p. 273. C.

(15) Ad II. Reg. III. Ib. p. 523, E.

(16) Ad Ezec. I, 14. T. II, p. 167, B. Pretiosus iste locus philologis, non Syriacis solum sed et Hebraicis, aptusque ad ea partim confirmanda partim corrigenda quae, nescio qua felici

mum non proprio marte ex Hebraico Grecove textu transtulisse, usum vero fuisse jam nota versione; sed vin' ipsum *Interpretis* nomen in ejus scriptis reperire? audi igitur quae sequuntur. ܒܪܬ ܩܠܐ ܕܝܡܐ ܒܥܒܪܝܐ ܗܘ ܕܝܡܐ ܐܡܪ ܡܦܫܩܢܐ ܐܦ ܡܥܪܒܐ ܒܠܫܢܗ ܗܘ. " Vox autem Hebraica quam *mare* reddit INTERPRES, etiam *occasum* significat. ,, [17]
Et adhuc luculentius: ܗܕܐ ܗܝ ܝܪܬܘܬܐ ܕܫܒܛܐ ܕܒܢܝ ܝܗܘܕܐ ܘܒܝܪ ܫܒܥ ܘܩܘܪܝܗ ܘܦܓܝܪܝܗ. ܗܢܐ ܦܘܫܩܗ ܕܝܢ ܠܐ ܝܕܥܘ ܗܢܘܢ ܕܦܫܩܘ ܠܣܘܪܝܝܐ ܡܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܝ ܒܪܬ ܩܠܐ ܒܥܒܪܝܐ ܒܝܙܝܘܬܗ ܣܡܘܗ.
" *Haec est haereditas Tribus Judaitarum* , . . . *et Bersabe et pagi ejus et villae*. Pro voce ista *pagi*, quum nescirent *qui in Syriacum transtulerunt*, quid sibi vellet vox Hebraica (בִּזְיוֹתְיָה) posuerunt *Beziotheh*. ,, [18]

conjectura, disputavit Cl. *Michaelis* in *Supplem. ad Lexx. Heb.* p. 610, postea vero ad *Castelli Lex* p. 253. Constat enim ex hoc *Ephraemi* loco ܐܫܘܛܐ illud Syris esse quod velut fulgur coruscat, vel instar stellae quae e coelo labitur, conspicitur. *Meteora* igitur ignea clare designat non *sagittas*, non fictas ex Korano Angelorum lanceas. Optime hinc confirmatur *Castelli* significatio *stellae cadentis*, a *Michaeli* quamvis sine exemplo approbata.

(17) In I. Reg. XVIII, 46. T. I, p. 498, F.

(18) Ad Jos. XV, 28, T. I, p. 305. B. Ex hoc loco patet

Tandem, ܥܠ ܕܝܢ ܐܝܟ ܥܒܪܝܐ ܕܢܟܣܐ ܠܪ̈ܓܠܘܗܝ ܗܘ ܕܡܦܩܬܢ ܐܡܪܐ ܘܕܡܟ ܬܡܢ " Intravit juxta Hebraicum *ut tegeret pedes suos*, quo pro VERSIO NOSTRA dicit, *et ibi dormivit*. „ [19] Satis igitur in propatulo est, versionem nostram *Ephraemi* temporibus jam vulgatam fuisse, quod quidem, si omnia alia tacuissem, ex hoc constaret, quod omnibus iis sectis aeque in honore sit, quae paulo post, a Christi Ecclesia desciverunt. Sed *recens* ne versio, saeculo illo quarto, erat, an vero jam *antiqua*, jamne aetate cana veneranda habita est? Gravis haec quaestio ut vidimus, nec unquam vereor dirimenda, nisi monumenta hactenus delitentia in lucem felix aliquis casus reduxerit. Auctores quos laudavi ut patronos antiquitatis Apostolicae versionis, vel *Traditioni* supra recitatae ut *Waltonus*, vel conjecturis criticis innixi cum *Michaeli*, sententiam tuentur. Magis modeste, magisque prudenter egisse illi dicendi erunt, qui cum *De Rossio* [20] et *Scholzio*, [21] quo nemo majorem spem Criticae Sacrae attulit unquam, *antiquissimam* quidem pronunciant, aetatem vero definire non

---

quod supra innui, (v. p. 104.) *Ephraemum* non unum solum interpretem agnovisse, sed plures qui curas ad *ejusdem libri* metaphrasin contulerint.

(19) Ad I. Sam. XXIV, 4. Ib. p. 380.

(20) *Variae Lectiones Veteris T.* etc. Parmae 1784. *Proleg.* P. I. §. XXIX. p. XXXII. " Versio haec *antiquissima*. „

(21) *Curae Criticae in Historiam Textus Evangeliorum*. Heidelb. 1820. p. 39. " *Antiquissimam* syriacam Peschito dictam. „ Cf. tamen p. 43.

audent. Hos quidem ego libenter imitarer, si criticum agerem; quum vero tantummodo *Symbolas* conferre studeam, quo, me doctiores judicium pronunciare valeant, quid ipse sentiam libere proferam.

§. V.

Symbolae ex Ephraemo ad patriam seu aetatem versionis decernendam.

Ex diligenti igitur Commentariorum *Ephraemi* studio, alterutrum mihi videtur constare, vel, scilicet, *antiquissimam* fuisse tunc temporis versionem istam, vel vera narrare Syros quum, ut supra ostendi, ipsam asserunt *non in orientali Aramaea* fuisse perfectam. Hujus sententiae fundamenta fusius pandam. Linguas Orientales non adeo mutationi esse obnoxias in confesso est apud Philologos, [1] hocque omnium aetatum auctoritate confirmatur. Nihil igitur mirum si lingua Syriaca se sibi similem per tot saecula conservaverit; ita ut, satis teretes religiosasque aures habeat oporteat, qui inter recentiorum et antiquiorum scribendi genus, quamvis ab incunabulis biberit Orontem, discrepantiam perceperit. Quae quum ita sint, non, sicut inter nos, unum et alterum saeculum sufficiet, quo vocabula quae in honore jam erant, mox cadant, et in obsoletis habeantur. Porro ex *Ephraemo* constat, in versione Sy-

---

(1) Vide quae hac de re disputat docte pro more et acute *Iahn.* (*Einleitung in die Göttlichen Büch. des A. B.* Ed. 2. T. I. pp. 265, seqq.)

riaca quamplurima reperiri quae *Edessenis* ad quos libros suos dabat [2] jam ignota erant, vel peregrinitatem olebant. Sed et illud observatione dignum, verba ista saepe ea esse, quae *Hebraicis* radicibus referuntur, vel quae Graecam stirpem, aliquando vero Latinam prae se ferunt. Scio quidem verba Latina etiam in dialectum Edessenam irrepsisse, [3] scio etiam linguam Graecam, quamvis nunquam omnino vernaculam et forsan aetate *Ephraemi* solis doctioribus studio acquirendam reservatam [4] fuisse tamen satis Edes-

---

(2) V. ejus *Vitam* praemissam Tomo III. Operum; pp. XXXVIII, seq. ejusdemque Compendium. (*Bib. Or.* T. I. pp. 36, seqq.)

(3) Hujusmodi verba inveniuntur in scriptis *Zachariae* Meletinensis, qui tamen *Rhetoris* nomine a suis condecoratur, quique floruit *ante medium saeculum sextum*. (*Assem. Bibl. Orient.* T. II. p. 54.) Narrat igitur fuisse *Marinum* Apameensem Imperatoris ܟܪܛܘܠܪܐ *chartularium*; quae quidem vox Latinae plane *formae* est. Illam absque exemplo posuit *Castellus*, *Michaelis* vero adjunxit etymologiam. (*Cf. Du Cange, Glossar. mediae et inf. Latinit.* Ed Paris. 1678. T. I. P. I. col. 957.) Adjungit ipsum semper secum ferre consuevisse ܩܠܡܪܐ *Kalamaro* (*Calamariam thecam* dicunt Latini) quo quaeque notatu digna statim litteris consignaret. (Ib. p. 59.) Tale etiam vocabulum ܦܘܪܡܩܣ, quod occurrit in Codice *Angelico* celeberrimo, (*Adler Versiones Syr.* etc. p. 59.) et scriptum ܦܐܪܡܩܣ in Cod. *Asseman. I.* (Ib. p. 63.) *Michaelis* supplet in Castelliano Lexico, citatque *Adlerum*. Vertit ipse *Codex*, quum tamen constat *indicem* potius designare, dicitur enim de solo *indice Pericoparum* in Versione Philoxeniana.

(4) Quarto certe et quinto saeculo, in *Scholis* publicis non lingua Graeca sed Syriaca in usu et in honore erat. Hoc

sae excultam; tamen dicendum erit, versionem Sy-

---

expresse narrat Auctor *Vitae S. Alexandri Acoemetae*. (ap. *Bolland. ad diem* 15. *Ian*. p. 1023.) Idem insinuat *Ben Attib*, qui hujus scholae fundatorem, *Ephraemum* ponit. (Ap. *Assem. Bibl. Orient.* T. III. Par. II. p. CMXXIV.) Persae etiam celeberrimam scholam habebant Edessae, cujus passim meminerunt scriptores tam Syri, (Consule *Bibl. Or.* T. I. pp. 203, 351 seqq, 406, T. II, p. 402; T. III. pp. 226, 376.) quam Graeci. (*Theodor Anagnost.* T. III. p. 516, Ed. Histor. Eccles. Taur. 1748.) In hac schola Persae *linguam litterasque Syriacas* docebantur. Hoc constat ex *Maane Hardascirensi* qui in illa schola studiorum curriculum percucurrit, (*Chronic. Edess.* in T. I. *Biblioth. Orient.* p. 352.) quique postea in Persiam rediens, *Syriacae* linguae peritissimus nominatur ab *Amri*, (*Biblioth. Or.* T. II, p. 402.) et etiam libros ex *Syriaco* in patrium sermonem transtulisse perhibetur. (Ib. T. III, p. 376.) Quod quidem non minus ex iis colligitur quae narrat *Epiphanius*, (*Haeres* T. I. p. 629. Ed. *Petav.*) Persas scilicet Syrorum litteris usos fuisse, maximique fecisse profundam linguae Syriacae cognitionem.

Certe etiam *Ephraemi* tempore, *Syriaca* lingua sola apud vulgares homines adhibebatur, ut constat ex carminibus quae eorum usui accommodata conscripsit. (V. ejus *Vitam*, post loca sup. cit.) Linguam Graecam tunc temporis Edessae vernaculam nulla prorsus ratione fuisse, sed *studio* a viris doctioribus acquisitam, manifeste colligitur ex historia *Eusebii Emiseni*, *Ephraemo* aequalis, quae narratur a *Socrate*. (*Hist. Eccles.* L. II. Cap. IX. Ed. Taur. sup. cit. T. II. p. 74.) Hunc igitur tradit fuisse *Edessae*, nobili loco ortum, juvenem sacris litteris incubuisse; 'ΕΙΤΑ τα ἑλληνων παιδευθεις (non quotidiano usu, sed) παρα τῳ τηνικαυτα τῃ 'Εδεσῃ ἐπιδεμησαντι παιδευτῃ.

Quum vero, ut supra innui, non adeo facile paucorum annorum spatio, lingua mutari valeat, praesertim inter Orientales quibus nulli in patriis tenaciores; deducere pronum videtur vix unquam, *vulgatam* fuisse linguam Graecam Edessae, quamvis in lapidibus nummisque (non secus ac inter nos Latina) fuerit adhibita. Hinc igitur corrueret non minus, quod Auctores passim

riacam Simplicem, *ea dialecto fuisse conscriptam, in qua, saeculo quarto a Christo nato, ob Hebraicam, Graecam, Latinamve originem, multa Edessae amplius non intelligebantur; in qua pariter voces plures Syriacae, ignotae prorsus significationis ibi habebantur*.

Si vera haec sint, nonne dicendum, versionem istam, fuisse conscriptam vel, *eo tempore*, quo majorem cum Hebraica cognationem Aramaea lingua jactabat, verbis tamen Graecis immixtam magis; vel *eo loci*, ubi lingua hisce iisdem notis signabatur; ut clarius rem enunciem, vel in *occidentali* Syria, vel si in orientali, *longe* ante quartum saeculum?

Restat igitur ut documenta quae dixi ex *Ephraemo* promam: quae quidem non absque magna diligentia collegi. Quod si quis me inepti laboris accusare voluerit, cogitet haec omnia etiam ad historiam linguae illustrandam maxime conducere, et versioni Syriacae non parum lucis affundere, ex eaque ipsi veritati Hebraicae; quatenus quemnam sensum illius auctor verbis istius affigerit, videre sic liceat, iis praesertim in locis in quibus obscuram se nobis praebet ipsa versio. Hinc alio etiam ex capite spero hanc meam opellam nec ingratam nec inutilem philologis et exegetis fore, cui etiam majorem fructum conciliare volens, de ipsis verbis liberius aliquando agam, ubicumque aliquid novi philologiae Syriacae adjici

---

asserunt, ita tritum fuisse Edessae Graecum sermonem, ut facile SS. LL. Graece toti populo perlegi potuerint. (Ita *Eichhorn*, ubi sup. p. 441. *Branca*, ubi sup. p. 240.)

posse speravero, vel, adductis, aliorum errores corrigi visum fuerit.

Ad Gen. XXX, 14, in versione Syr. pro Hebraico דּוּדָאִים habetur ܝܒܪܘܚܐ quemadmodum et in paraphrasi *Onkelasiana*, יַבְרוּחִין. Quid fuerit Syris planne, *Ephraemo* pene ignotum. Sic enim ipse ܝܒܪܘܚܐ ܕܝܢ ܐܡܪܝܢ ܕܥܩܪܐ ܗܘ ܕܐܝܬ ܠܗ ܦܐܪ̈ܐ ܕܪ̈ܝܚܢܐ ܠܡܪܚܐ ܘܡܬܐܟܠܢ̈ܐ ܐܘ ܡܬܬܐܟܠܝܢ. " Javruche autem *fertur* esse radix, cujus fructus odoriferi et esculenti *Chaurae* similes. " [5]

Ad Gen. I, 1, explicat particulam ܝܬ quam Hebraicam אֵת esse notat. [6] Paulo post, verba illa explicat, *Terra autem erat* ܬܘܗ ܘܒܘܗ per haec, ܚܪܒܐ ܘܣܪܝܩܐ *deserta* et *vasta*. [7]

Ib. X. 9. Dicitur *Nimrod* fuisse גִּבּוֹר-צַיִד ubi Syrus posuit ܓܢܒܪܐ: quam in vocem sic commen-

---

(5) T. I, p. 84, D.

(6) Ib. p. 116. D. Quae de ista vocula disserit Cl. *Branca*, (Ubi sup. pp. 193. seq.) hoc satis confutantur quod occurrat etiam, Eccles. II, 3. III, 17. IV, 1. bis. Cant. III, 5. VIII, 4.

(7) Ib. F.

tatur *Ephraemus* : ܢܚܫܝܪܬܢܐ ܓܝܪ ܡܫܡܗܝܢ ܦܪܣܝܐ ܠܨܝܕܐ " *Nachschirtono* enim appellant Persae venatorem . „ [8]

Exod. XXXVIII, 16, pro Heb. קְעָרֹתָיו occurrit vox ܡܓܣܐ quam *phialam* reddit *Castellus* ; explicat sic *Ephraemus* : ܘܥܒܕ ܡܓܣܐ . ܡܓܣܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘ ܕܡܫܚܐ ܒܗ ܐܢܫ ܡܕܠܩ ܘܪܡܐ ܠܗ ܦܬܝܠܬܐ[9] " *Et fac* magso . *Magso* illud est, quo quis oleum ardere facit, injicitque ellychnio . „ [10]

Ib. XXXVIII , 4, pro Heb. מִכְבָּר habet Syrus ܩܢܩܠ ; in quam vocem *Ephraemus* : ܗܘ ܕܝܢ ܐܣܦܪ ܟܘܢܐ [11] ܡܩܒܠܢܐ ܕܢܘܪܐ . " Hoc autem est circulus foculi ignem continens . „ [12]

Ib. XXVIII , 4, חֹשֶׁן Syrus ܦܪܘܣܬܐ seu ut rectius

(8) Ib. p. 153, F.

(9) Vox ista a *Castello* absque punctis et exemplo ponitur, solius *Nov*. auctoritate .

(10) Ib. p. 230, B.

(11) Vox exulat a Lexicis . Habent tamen Arabes كانون quod idem significat , ut notat *Michaelis* (ad *Castel* p. 420.) quamvis de voce Syriaca non cogitaverit . Habet et *Castellus* ܟܢܐ quod *crater* reddit .

(12) Ib.

Ephraemus ܦܪܝܙܘܡܐ. Vocem sic explicat ܗܘ ܚܨܝܐ " Hoc est, cingulum. „ [13]

Subjungit iterum hanc vocem alium sensum habere in descriptione vestium Sacerdotalium, scilicet eam esse tunicam talarem cingulo constrictam; quibus verbis respicere videtur loca illa in quibus ponitur pro Hebr. מְעִיל pro quo occurrit Exod. XXVIII, 31, 34.

Et quidem hos verbi usus non fuisse *Edessae* consuetos, patet ex *Jacobi Edesseni* explicatione. Iste enim Geneseos III. 7. exponens, in vocem ܦܪܝܙܘܡܛܐ animadvertit eam nihil aliud nisi *subligacula* significare. ܘܠܐ ܐܡܪ ܠܒܘܫܐ ܘܟܘܬܝܢܐ ܐܠܐ ܦܪܝܙܘܡܛܐ. ܗܠܝܢ ܕܡܟܣܝܢ ܠܡܒܗܬܘ ܦܘܪܣܝܐ ܒܠܚܘܕ. " At non dixit *tegumenta* aut *tunicas* (sibi fecisse Protoparentes) sed *Perizomata* quae *solis verendis contegendis* adhiberi solent. „ [14] Et quidem hunc sensum habet in aliis Exodi locis, in quibus pro Hebr. מִכְנְסֵי־בַד reperitur. [15]

---

(13) Ib, C.

(14) *Com. in Gen.* in T. I. *Opp. Ephr.* p. 140, A.

(15) Exod. XXVIII, 42. et alibi: At Lev. XVI, 4. pro eadem phrasi Hebraica ponitur a Syro ܡܐܢܐ ܕܒܘܨܐ *vestes* linteae. Constat igitur vocem hanc Graeco-Syriacam pro *quatuor* Hebraicis poni; חֲגוֹרוֹת (Gen. III, 7.) מִכְנָסַיִם (Exod. XXVIII, 42.) חֹשֶׁן (Ib. 4.) et מְעִיל (Ib. 31, 34.)

Ib. v. 40. pro מִגְבָּעוֹת habemus ܟܘܒ̈ܥܐ . *Ephr.*

ܗܢܘ ܟܠܝܠܐ " Haec est *corona* . ,, [16]

Ib. 4, et ubicumque occurrit nomen Hebraicum מִצְנֶפֶת invenitur affine Syriacum ܡܪܢܦܬܐ . Mirari quidem subit quomodo vox saepius in Sacro Codice occurrens, penitus desideretur, tam in Heptaglotto Lexico, quam in *Michaelis* ad ipsum supplementis. Vox igitur *Hebraico* cognata, servatur adhuc inter *Occidentales* Syros. Nam in *Maronitarum* ritu consecrandi Patriarcham, induitur consecratus, inter alias sacras vestes, etiam ܡܪܢܦܬܐ, [17] quum tamen inter *Orientales* capitis ornatus quo utuntur Patriarchae longe alio nomine designatur. [18] Quidquid tamen sit, videtur vox commentario eguisse; quamvis commentarius nobis forsan subobscurus, sic enim est; ܡܪܢܦܬܐ ܗܘ ܐܦܘܪܐ ܕܦܘܫܩܐ . ܐܘ ܐܝܟ ܟܘܒܥܐ .

(16) Ubi supra. Explicatio haec, nescio quo casu, in versione penitus omittitur.

(17) *Codex Liturgicus Ecclesiae Universae*. Liber. VIII. Pars III Romae, 1758. Auctore *Ios. Aloys. Assemani*. p. 67. Ibi vertitur *amictus*; et in notis ad *Morini* versionem, (ib. p. 243.) *cidarim* designare testatur *Assemani*. V. etiam P. II. p. 142.

(18) Vide *Biblioth. Orient.* T. III. Par. II. p. CCCLXXXIX. ubi ܟܘܡܪܐ dicitur.

" *Maznaphto*, id est *involucrum* [19] *cidaris* [20], vel *pileo* quid simile. „ [21]

Num. XI, 7, Dicitur Manna fuisse כְּזֶרַע־גַּד: in Peschito vero ܐܝܟ ܙܪܥܐ ܗܘ ܕܟܘܣܒܪܬܐ " similis semini *Coriandri*, „ collato Chald. כּוּסְבַּר quo utuntur Paraphrastae hoc loco, quodque a Rabbinis eodem sensu adhibetur. Vocem *Coriandrum* significare non nego: *Ephraemo* tamen vox *significativa* videtur, et ipsi, ni fallor, intellecta vix erat. Audi enim: ܡܢܢܐ ܕܐܡܪ

---

(19) Heb. אָפַד *Circumvolvit* vel *circumcinxit*. (Exod. XXIX, 5. Lev. VIII, 7.) Scilicet, ܐܦܘܕܐ hoc in loco videtur esse linteum illud quod *Schasch* شاش appellant Arabes, (V. *Niebuhr*. *Voyage en Arabie*. Amsterd. 1776. T. I. p. 129. *Rosenmüller*. *Das alte und neue Morg.* T. II. p. 93. et Clariss. *Silv. De Sacy*. *Chrestom. Arabe*, 1. Ed. T. II. p. 575.) Persae *Dulband*, Turci *Sarik*, (*Lettre de Mons. de la Croix*, *praefixa* II. Tomo *Suite du Voyage de Mr. Thevenot*, Paris 1689 p. *5.) Latini vero de Persis agentes *cidarim* recte dicunt; quodque circa pileolum ab Orientalibus volvitur.

(20) Habet *Castellus* ܦܫܢܐ quod *cidarim* reddit.

(21) Loco supra citato: non enim verba haec suis in locis explicat, sed omnia simul congesta tradit, unde ordinem quo ipse posuit retinui, loca ubi occurrunt adjiciens. Adjungit ibidem explicationem verbi ܐܕܟܣܐ quod dicit fuisse lineam vestem ad femora pertingentem cingulo corpori aptatam. At vox, quae Lexicis inserenda, certe in descriptione sacrarum vestium nullibi occurrit; sed si alicubi talis vestis nominatur, potius verbum ܦܠܣܛܐ adhibetur.

ܠܗܘܢ ܕܐܝܟ ܐܘܟܠܐ ܗܘ ܕܒܣܘܒܪܬܐ ܕܢܗܘܐ
ܕܒܛܥܡܘܗܝ ܡܫܬܘܬܦܐ ܗܘܐ. ܐܘ ܒܡܫܡܢܘܬܐ ܐܘ
ܒܚܠܝܘܬܐ ܐܘ ܒܣܡܡܢܘܬܐ ܡܫܬܘܬܦܐ ܗܘܐ ܀ " Quod *mannam* dixerit similem *semini Cusbarto*, (dixit) *ut ostenderet* quod, cujuscumque cibi more elixaretur, [22] ejus sapores, seu pinguedinem, seu etiam dulcedinem participabat. „ [23] Eandem prorsus *inductionem* ex nomine ܟܘܣܒܪܬܐ trahit S. Doctor, in alia Commentariorum parte. [24] Quid igitur concludo? scilicet *Ephraemo* ignotam vocem, et ex vulgata jam sententia in Sacris LL. fundata, ab ipso explicatam. Videtur enim istam tenuisse pro voce composita ex ܟܠ *omnis*, et ܣܝܒܪܬܐ *cibus*, ita ut ܠ finalis primae vocis cum *solari* sequente (ut Arabibus in articulo accidit) coaluerit. Sic enim ipsius argumentum satis intelligitur, *ideo* dici mannam similem *semini Cusbarto*, *quia* omnes cibos in se quodammodo contineret.

I Sam. XIV, 4 nominantur rupes duae, quarum

---

(22) Hic certe sensus mihi solus probabilis est, non vero, ut verbum verbo reddi posset, *in quacumque re elixaretur*; hoc enim nihil miri haberet, et manna aliorum ciborum *defectum* supponebat. Sed hunc esse sensum ex contextu revincitur; paulo enim post subjungit, saporem mannae, pro varietate *modi* coctionis, variasse.

(23) T. I, p. 256, C.

(24) Ib. p. 218, D.

primam בּוֹצֵץ eodem pene nomine appellavit. Syrus ܒܘܙܝܙ, alteram vero סֶנֶּה mutato prorsus verbo, dixit ܣܢܝܐ. Utramque vocem suis explicat *Ephraemus* : illam, (quae quidem utpote nomen proprium, versioni non tribuenda) per verbum ܦܫܝܫܐ *subtilis*, hanc vero, per ܝܓܪܐ *acervus*. [25]

Ib. XXIII, 28, pro Heb. סֶלַע, ponitur ܫܢܘܪ. Hanc vocem, *Hebraicam* putavit *Ephraemus*, suisque ignotam explicavit: ܒܠܫܢܐ ܥܒܪܝܐ ܫܢܘܪ ܗܘ ܗܘ ܟܐܦܐ " Vox Hebraica *Senor*, quae rupem significat.,, [26] Ib. per ܐܘܠܐ explicat vocem ܓܕܝ quam Syrus Cap. seq. v. 3. ponit, reddens עֵין גֶּדִי.

II, Sam. VIII, 7, שִׁלְטֵי הַזָּהָב iisdem pene verbis effertur in textu Syriaco, ܫܠܛܐ. Vocem dubius explicat *Ephraemus*, vel *armillas* vel *pharetram* dicens. [27]

Ib. XV, 1, Cursores רָצִים quos sibi addixisse fertur Absalom, appellantur a Syro nomine plane La-

(25) Ib. p. 357, F.
(26) Ib. p. 379, E.
(27) Ib. p. 405, C.

tino ܓܒ̈ܒܝܢ *Tabellarii*. Obscurum per nobis obscurius explicat ܓܒ̈ܒܝܐ ܕܝܢ ܦܘܪ̈ܘܢܩܐ ܐܢܘܢ. " *Tabellarii* autem *Phorunci* sunt: ,, hosque dicit ταχυδρομους esse, qui a Regibus nuncii ad longinqua mittuntur.[28]

I. Reg. X, 11, lignum אלמגים redditur ܦܣܣܬܐ.[29] *Ephraemus* speciem ܐܫܟܘܪܐ dicit.[30]

Ib. XII, 11, et alibi, nominantur flagella quae עקרבים seu *Scorpiones* dicebantur, ideo probabiliter quia *caudae* scorpionis aculeo armatae speciem referrent.[31] Ubique reddit Syrus voce ܡܪ̈ܓܢܐ, quam ut inusitatam suis explicat *Ephraemus*. ܡܪ̈ܓܢܐ ܕܝܢ

---

(28) Ib. p. 415, D.

(29) Locum hunc *Ephraemi* inseruit Cl. *Olaus Tychsen* suae Syriacae Chrestomathiae, (*Elementale Syriacum* etc. Rostoc. 1793, p. 38.) et vocem correxit in ܦܣܝܣܬܐ, forsan ut verbo ܦܣܝܣ, quod radicem putabat, redderet magis conformem.

(30) Ib. p. 467, E. Quid sit *Eschcorho* istud, hic non vacat inquirere.

(31) Non secus ac Latini eandem translationem, inverso ordine faciunt.

" Ille (Scorpion) minax nodis, et recto *verbere* saevus,
Teste tulit coelo victi decus Orionis. ,,

Lucan. Pharsal. L. IX. v. 335.

Supplicium peregrinum probabiliter erat. (Cf. *Iahn* : *Biblische Archäologie*, II. Th. II. B. p. 339. Vien. 1802.)

ܡܘܪ̈ܓܢܐ ܐܕܫܐ ܡܢ ܡܚܘ̈ܬܐ ܕܦܘ̈ܠܓܐ ܐܝܟ ܡܥܝܐ ܘܚܟܝܡܐ
ܕܡܠܝܢ ܚܠܐ ܘܥܘܩ̈ܣܐ ܡܩܒܥܝܢ ܒܗܘܢ. " *Morgane* sunt species quaedam verberum, quae sunt instar intestini arte parati, quaeque arena farta, aculeos sibi infixos habent. „ [32] Nimirum ut dixi, Scorpionis *caudae* formam satis accurate sistunt.

II,Reg. III, 4, explicat vocem Syriacam ܢܩܕܐ, quam ab Hebraica נֹקֵד pro qua ponitur, derivare ait: locum supra dedi. [33]

Job. XXXIX, 23, vocem ܩܛܝܪܟܐ *pharetra*, quae pro consueto Hebraico אַשְׁפָּה occurrit, sic paraphrastice exponit. ܩܛܝܪܟܐ ܓܝܪ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘ ܕܛܥܢܝܢ ܩܪܒܬܢ̈ܐ ܘܒܗ ܡܬܬܣܝܡܢ ܓܐܪ̈ܐ. " *Ktirko* enim est id quod gerunt bellatores, in quo reponuntur sagittae. „ [34] Non tamen diffiteor *Ephraemum* alibi hac ipsa voce uti, quum pharetram designare vult, [35] apparet tamen ex verboso hoc commentario, rarius vocabulum suis fuisse.

Ib.XLI,13, occurrit pro תְּלַהֵט aequivalens ܬܠܗܘܒ,

(32) Ib. p. 471, F.
(33) P. 115.
(34) T. II. p. 17, F.
(35) Ut T. I. p. 405, C.

de qua sic S. Doctor : ܬܠܗܬ ܓܝܪ ܗ̇ܘ ܠܫܢ ܡܠܬܐ ܥܒܪܝܬܐ ܐܝܬܝܗ̇ ܕܡܬܦܫܩܐ ܠܬܠܬܘܢ ܘܐܬܒܢܝܢ ܘܠܦܫܛܐ " *Talhet* enim vox *Hebraica* est, quae redditur etc. ,, [36]

Esaj. III, 22, habemus ܡܫܠܡܢܝ̈ܬܐ tanquam ornatum muliebrem, Hebraice מִטְפָּחוֹת. Generatim *ornamenta* reddit Castellus, locum nostrum citans, tum, *carbasa*, qua voce redditur in Polyglottis. Aliter exponit *Ephraemus*, post vocem adjungens; ܐܘܟܝܬ ܟܘܬܝܢ̈ܐ ܐܘ ܢܚܬ̈ܐ ܕܢܚܬܝܢ ܥܕܡܐ ܠܥܩܒ̈ܐ ܕܪ̈ܓܠܐ " scilicet tunicas aut vestes ad talos descendentes. ,, [37]

Ib. 24. Alicujus momenti disputatio hic oriri posset, eaque ad criticam Versionis nostrae historiam non inutilis; breviter tamen pauca perstringam. Pro Hebraico קָרַח nomineque ab eo derivato ponuntur in Syriaca versione voces ܩܘܕܚ et ܩܘܕܚܐ. Ista occurrit in loco quem tractamus pro קָרְחָה. *Michaelis* ad *Castelli Lexicon*, [38] annotat, probabiliter legendum in his vocibus cum ܪ loco ܕ, mendum suspicans librariorum,

(36) T. II. p. 18, E.
(37) Ib. p. 25, E.
(38) P. 777.

ob rariorem vocis usum inter Aramaeos: quo quidem modo dialectus utraque optime conveniret. Sed vix credibile idem mendum tot in loca irrepsisse, nisi ex voce non intellecta alia satis nota producta fuisset; quo in casu (scilicet si ܩܕܚ sensum talem habuisset,) nihil est cur erroris suspicio oriatur, potuisset enim et ab Interprete poni. Sed si error sit, certum ipsum ita tempore *Ephraemi* inolevisse, ut nulla amplius suspicio existeret; sed potius ad alias interpretationes conquirendas confugiendum putaverit ipse, quam pravam emendandam lectionem. Si, e contra, error admitti nequeat, dicendum sane, vocem *Ephraemo* plane non intellectam. Sic enim eam ipse explicat.

ܘܩܘܕܚܬܐ ܢܬܣܡܢ ܒܪ̈ܫܝܗܝܢ. ܐܘܟܝܬ ܐܣܪܐ
ܕܐܒ̈ܠܐ ܕܐܣܪ̈ܢ ܐܪ̈ܡܠܬܐ ܠܠ ܒܪ̈ܫܝܗܝܢ.

" Et *Kudchoto* earum capitibus imponerentur; nimirum, *vittae lugubres* quas capitibus alligant viduae.,,[39] Certe conjectura usum pene dixerim, nam neque talem sensum habet Hebraica veritas, neque ista interpretatio verbo ܩܕܚ, ubi occurrit, aptari potest.

Ib. X, 26, pro Heb. שׁוט *eandem* vocem Syrus posuit, ܩܘܛܐ, *scuticam* certe intelligens. Aliter *Ephraemus*, qui post verbum quasi ignotum adjungit ܗ̄ ܡܚܛܐ

(39) Ubi sup. F.

" Hoc autem est *baculum*. „ [40] Quae mox notavi viderat jam Cl. *Michaelis*; [41] et confirmatur ex eo quod *Ephraemus* ad Cap. XXVIII, 15, eandem vocem eodem scholio insigniat: ... ܫܘܛܐ ܟܪܘܦܐ ܘܡܚܛܐ ܟܪܘܦܐ. [42] Jer. LI, 41, habetur singularis interpretatio Hebraicae vocis שֵׁשַׁךְ quae redditur ܐܪܫܟܝܬܐ. Idem nomen Hebraicum iterum adhibetur ab Jeremia (XXV, 26.) redditurque ܐܪܫܟܐ; in utroque loco de Babylone dicitur. *Gabriel Sionita*, in priori illo loco, reddit, *Reginarum maxima*, in altero vero, ubi jungitur τῷ ܡܠܟܐ, *Rex monarcha*. Quidquid sit de hujus interpretationis veritate, hoc constat, videri incertam fuisse *Ephraemo* vocabuli significationem; explicat enim ex consueto Syriaco ܐܪܦܣ *contudit*. Sic igitur ipse; ܐܪܫܟܝܬܐ ܡܬܦܫܩܐ ܐܪܙܦܬܐ " *Areschchito* significat *malleum*. „ [43]

---

(40) Ib. p. 39. B.

(41) Ad *Castellum* p. 898.

(42) Ubi sup. p. 68, B.

(43) Vexatum vocabulum hoc ששך et interpretibus crux. (V. *Rosenmüller*, *Schol.* Par. VIII. Vol. I. p. 590. seqq.) Vix puto, in voce nostra Syriaca ܫ esse servilem, quod tamen supponit *Ephraemus*. Si tamen sit, forsan Interpres vocem ששך sumpsit sensu non multum ab eo distanti quem ei tribuit *I. D. Michae-*

Ezech. I, 14, explicat verbum ܢܨܠܐ, de quo supra egi, p. 115.

Ib. IV, 2, occurrit vox ܩܠܩܘܡܐ pro דָּיֵק. Eam explicat, dicitque esse turres altas, in quibus consistunt expugnatores, eos qui moenia tuentur aggressuri, et ex quibus inspici possunt, quae in Urbis obsessae plateis atriisque geruntur. 44

Ib. XVI, 16, satis consuetum vocabulum בָּמוֹת redditur per ܩܘܠܐ de quo quum jejune admodum egisset *Castellus*, *Michaelis* commentariolum adjecit ex *Ephraemo*, sed parum accuratum. Ipsum enim citat explicantem per verba, ܦܬܟܪܐ ܕܙܢܝܬܝ ܒܗܘܢ *idola quibuscum scortata es*, suspicaturque φαλλικον

---

lis: (Conf. ib.) scilicet, collato Arab. سك *ferro obduxit portam*, unde nomen سك *Clavus*, pec. *Typus quo cuditur nummus*, et سكي *denarius* ita cusus, tandem سكي *faber lignarius*. In his omnibus idea malleo *tundendi* videtur dominari: ܢܓܪ ponitur pro חרש redditurque a *Gabriele Sionita*, *faber lignarius*, (Esaj. XLI, 7.) nec non pro מהדק. (Dan. II, 40.)

(44) Ib. p. 169, B. Attamen vix videtur *Ephraemus* vocis significationem assecutus: דיק enim pro quo ponitur, talem turrim haud facile significat, sed potius *arietem* a comminuendo dictum ut observat eruditiss. *Schultens* ad Prov. XXXI, 3. vocem מחות explicans. (Ed. compend. *Vogel*. Halae, 1769. p. 320.)

instrumentum designari. Sed si magis attente locum perlegisset, vidisset non quidem ܦܬܟܪ̈ܐ, ܘܐܢܫܬ sed ܦܬܟܪ̈ܬܐ ܘܐܢܫܬܢ, scilicet *imagines foemineas*, quas opponit ܨܠܡ̈ܐ ܕܟܪ̈ܐ *statuis virilibus*, sic enim exponit ille vocem ܨܠܡ̈ܐ, quam absolute posuit Syrus pro צַלְמֵי זָכָר. Quidquid sit, vox illa *Knojoto* ipsi *Ephraemo*, ut non dicam iis pro quibus scribebat, obscurior videtur fuisse. 45

Ib. XX, 29, ut et saepe alibi, redditur idem verbum Hebraicum בָּמָה voce ܦܪܟܐ. Eam suis sic explicat *Ephraemus*: ܗܘ ܦܪܟܐ ܐܝܬܘܗܝ ܒܐܡܐ ܐܘܟܝܬ ܟܐܦܐ ܕܐܝܬܘܗܝ ܡܕܒܚܐ ܠܕܒܚ̈ܬܐ ܕܦܬܟܪ̈ܐ " Hoc autem *Phraco* est βημα (βωμος, qu.) scilicet saxum quod altari inservit ad idola litanda.,, 46 Sicque confirmatur quod de במה non loco sed altari elevato habet Vitringa. 47

Ib. XLIV, 30, pro עֲרִיסוֹתֵיכֶם habemus ܐܪ̈ܘܫܟܘܢ, quod passim in Pentateucho eidem correspondet. Est igitur *subacta massa*: aliter tamen explicat no-

(45) Ib. p. 178, F.
(46) Ib. p. 183, D.
(47) Ad Esaj. XVI, 12.

ster, ajens: ܗܘ̄ ܪ̈ܫܝܬܐ ܕܡܐܟܘܠܬܐ ܕܝܠܟܘܢ " Id est primitiae *esculentorum* vestrorum. „ [48]

Dan. VI, 19, voces Chaldaicae בָת טְוָת iisdem ܒܛܘܬܐ exponuntur; quas per has explicat S. Doctor; ܗܘ̄ ܕܕܡܟ ܨܝܡܐ " Hoc significat, jejunus dormivit. „ [49]

Ib. VII, 2, אובַל אולי. Quid significaret forsan non intellexit Syrus, nisi, ipsum intellexisse concludere liceat, ex eo quod אובַל mutaverit in ܐܒܘܠ, (quod *porta* reddit *Castellus*) quo scilicet ex Chaldaico faceret Syriacum. Quod si verum sit, ut puto, jam ante *Ephraemum* disputabatur utrum *porta* reddi deberet, an vero potius *columna*. [50]

Zachar. V, 7, occurrit verbum ܟܝܠܬܐ pro Heb. אֵיפָה. *Mensuram minorem* esse monet *Castellus*, post ܟܝܠܐ ponens. Manifeste ut peregrinam seu obsoletam vocem tractat noster. ܟܝܠܬܐ ܡܢ ܫܡܐ ܕܟܝܠܐ ܗܘ̇ ܫܡܐ ܕܡܫܘܚܬܐ ܕܡܢܗ ܡܫܬܡܗܐ " *Chiolto* quidem mensurae (*Chailo*) nomen est, a qua ut a simili derivat. „ [51]

(48) Ib. p. 200, D.
(49) Ib. p. 212, F.
(50) Ib. p. 217, A.
(51) Ib. p. 291, B.

Haec praecipua loca sunt, in quibus *Ephraemus* verba versionis simplicis tanquam obscura exponit, aliisque permutat. In nonnullis videtur ipse in explicando haesisse; in aliis originem patriamve notat, peregrinitatem insinuans. Quod si quis putet pauciora haec exempla esse, pro suorum Commentariorum mole; cogitet, *Ephraemum* non Commentarios, sed *Scholia* potius conscripsisse, ita ut aliquando etiam integris Capitibus difficultatibus plenis, ne leviter, quidem manum apponat: nisi, quae nobis supersunt, *excerpta* ex ejus libris satius quam ipsos libros integros dicamus. Hoc quidem ego puto, nec improbabile fortasse videbitur iis quos non latet, libros hosce ex *Catena*, ut vocant, transcriptos editosque fuisse. In qua mea sententia hoc me maxime tenet, quod viderim Syros loca citare ex *Ephraemi* Commentariis, et quidem *loca quae in verba Syriaca ut obscura commentantur*, quae tamen in ejus Operibns invenire per me non licet. Unum exemplum adducam, praesertim quum vocem Syriacam, ni fallor, απαξ λεγομενην spectet.

Jes. XXX, (non XIII ut habet *Castellus*,) 17, pro Hebraico תורן legitur ܟܪܘܪܐ quamvis exemplaria habeant passim ܟܪܘܐ; corrigente tamen Barhebraeo, a *Castello* citato. Porro, in eximio *Codice Barberino* CI. de quo alibi mihi agendum, ad vocem hanc, quae scribitur cum duplici ܪ, apponitur in margine scholium sequens: ܘܡܢ ܐܦܪܝܡ. ܟܪܘܪܐ ܗܘ ܩܣܩܣܐ

ܗܪܘܪܐ ܐܝܬܘܗܝ ܕܩܝܣܐ ܒܗ ܡܐܢܐ ܡܕܡ. ܘܡܣܬܝܡ
ܥܠ ܛܘܪܐ. ܐܘ ܪܡܬܐ. ܐܝܟ ܕܣܟܘܬܐ ܡܕܡ
ܐܘ ܢܝܫܐ ܕܢܬܚܙܐ ܠܡܢ ܪܘܚܩܐ. " *S. Ephraemi* (scholium ;) " *Hroro* est palus longus cui pannus alligatur, quique ponitur supra montem seu tumulum, velut speculum aut signum, ut procul aspiciatur . ,, Locus iste occurrere deberet in p. 72 Tom. II. Operum *Ephraemi* , sed perdet operam qui ibi quaesierit . Fortasse ergo si omnia nobis superessent quae in Sacrum Codicem scripsit , plura longe inveniremus . Nam quum Syri iis commentariis videantur magis delectari , qui mores emendare student , mysticasque et allegoricas interpretationes sectantur ; nihil mirum si *Catenarum* illarum auctores, acriores verborum et litterarum investigationes tanquam difficiles nugas rejecerint, ea vero retinuerint, quae ipsis pietati nutriendae magis videbantur accomodata . Hoc certe scio , in Codicibus perantiquis scholia hujusmodi occurrere, tacito nomine Auctoris, quorum exempla nonnulla alii loco reservo .

Spicilegium hoc , ex quo varia exclusi quae non adeo ad rem putabam , aliorum studio relinquo ; ego judicium non fero : dubia moveo , causam agito , testes advoco ; me vero tyronem prorsus et in his studiis novum hominem, Praetorem non constituo . Audiant igitur qui jam hisce negotiis sese aptos cognoverint , dicantque sententiam . Ego enim studiorum meorum primorum fructus amplissimos mihi videbor comparasse , si quid novi collegero , et in commu-

nes res ex penu meo contulero, unde, aetatem ut et patriam versionis istius possint Viri Docti ad trutinam revocare.

Quamvis de Peschito testem nullum habeamus *Ephraemo* anteriorem, [52] tamen antiquiorem longe ipso fuisse, mihi certo constat, si *Edessam* patriam habuit: [53] habuisse, dubitasse videntur Syri, patria, igitur, primum investiganda, neque hoc difficile negotium: tunc vero *aetas* etiam poterit dignosci.

§. VI.

De Recensionibus et Versionibus Peschito, pauca.

Deberem fortasse hic *recensiones* hujus versionis enumerare, earumque descriptionem tradere. Sed quum de harum *historia* nihil apud Scriptores invenerim, contra propositum mihi institutum peccarem, si in *criticum* earum examen lectores ducere vellem. Unum tantum verbum de *Nestorianorum* recensione proferam.

Hanc quidem mihi liceret optime studio subjicere; possidet enim Bibliotheca Vaticana insignem ejusdem Codicem, de quo forsan, alio in Tomo, dicendi

(52) Ita *Bertholdt*, ap. *De Wette*, *Lehrbuch der histor. kritis. Einleitung*. Ed. 2. Berol. 1822. p. 112.

(53) *Michaelis* contendit versionem N. T. probabiliter praecessisse Veteris Testamenti metaphrasin. (*Introd.* etc. Ed. cit. T. II. P. I. p. 23, sed cf. omnino *Marshii* notam. P. II. p. 554.) Sed assentior potius *Whitio*; " Versio Sacrorum Codicum in Syriacum sub Abgaro, (si ulla,) fuit Veteris Foederis ex Hebraeo " (*Praef. ad Vers. Philoxenianam*, p. VI.)

*

occasio redibit. Hunc laudavit, librorumque ordinem descripsit *Jac. Geor. Adler*.[1]

Quum, in populari Angliae Senatu, de emendis Codicibus *Richianis* causa ageretur, selectique Curatores fuissent qui rem peragendam viderent, testes applicati sunt qui de valore pretioque Codicum ferrent sententiam. Inter Codices ergo Syriacos numeratos video a Viro Doctiss. *Sam. Lee*, Arabicae linguae apud Cantabrigienses Institutore, *Versiones Biblicas Nestorianorum et Jacobitarum*.[2] Haec annoto, ne quis verbo minus accurato inducatur in errorem; non enim *Versionem* a nostra discrepantem adhibent vel Jacobitae vel Nestoriani. De illis jam supra dixi,[3] de his idem testatur *Adler*.[4] Porro *Barhebraeus* in suo Commentario singulis fere paginis, ut observat *Assemani*,[5] citat variantes lectiones Nestoria-

(1) *Kurze Uebersicht seiner biblisch-kritischen Reise, nach Rom.* pp. 103, seqq.

(2) " Il y a *des versions* de la Bible des Nestoriens et des Jacobites: comme les deux sectes se sont separées dès l'an 500, il pourra étre important de les comparer au sujet des passages contestés. „ (*Bulletin Univers.* 7. *Section*, Iuin, 1825. p. 434.) Quoad loca ista, jam rem effecit *Adlerus*, (*N. T. Versiones Syr.* etc. pp. 59. seqq. et *Kurze Uebers.*, etc. pp. 99, seqq.) si sermo sit de N. T. In Veteri vero quaenam sunt hujusmodi loca?

(3) P. 108, nota.

(4) *Ich mache über diese Handschriften*, (Nestorianum scilicet) *deren Text die* Simplex *ist nur Eine Anmerkung*, etc. *Kurze Uebers.* etc. p. 103.) " *Der Syrische Text dieser Handschriften* (Nestor.) *ist die alte syrische Kirchenversion*, *die* simplex. „ (Ib. p. 99.)

(5) *Biblioth. Orient.* T. II. p. 283. Notat ibidem Cl. Auctor *Barhebraeum* bis citare *Codicem Michaëlis Patriarchae*, nimirum ad

norum; has accurate in Codice *Barhebraei* supra laudato contuli, nec unquam inveni punctorum et apicum discrepantiam excedere, excepto uno forsan alteroque loco, quem nunc memoria non teneo, in re tamen nullius prorsus momenti. Exempla hujus varietatis adducam, de *Karkaphensi* recensione infra agens.

Versiones plures, praesertim Arabicas, habuisse ex Syriaca ortum, notum credo omnibus. *Armeniacam* Novi T. ex eodem fonte profluxisse, post *Simon* putavit *Michaelis*. [6] De Veteris Foederis libris pugnare videntur auctores: dum enim viri Armeniacae linguae peritissimi eos consentire asserunt LXX-virali versioni, [7] adducitur tamen *Barhebraeus* affirmans *rem esse notam*, saltem refictos fuisse ad Syriacum textum. Locum attulit primus omnium *Walton*, [8] ex quo passim citatur ab aliis: sed jam, ante inspecta ipsius prolegomena, locum istum,

Gen. XII. et ad Cant. Canticor. In Codice Vaticano, in priori loco talem citationem non inveni; Commentarius vero ad Canticum, in eodem, prorsus desideratur; mutilus enim est, ut initio monui. Sed in praefatiuncula ad librum Iudicum, apponitur in margine, prima manu, scholium cum titulo, ܕܡܪܝ ܡܝܟܐܝܠ ܦܛܪܝܪܟܐ: *D. Michaëlis Patriarchae*. Agit de auctore libri Iud. nec tamen quidquam criticum continet: simile scholium alibi non inveni, fortasse vero tales annotationes habebat Codex Maroniticus quo usus est *Assemani*.

(6) *Introd. etc.* ut sup. p. 101. conf. tamen P. II. p. 614. Repugnat *La Crozius*, qui ipsam vel refictam negat. (*Thesaur. Epist.* T. III. p. 114.)

(7) Ita *La Crozius*, (ib. p. 201.) et *Bredenkamp* (*Allgemeine Bibliot.* T. IV. pp. 632, sqq.)

(8) *Prolegom.* p. 91.

alia agens, meum feceram ex Cod. Vaticano : ex quo integro constat non *rem notam* sed potius suam ipsius conjecturam sistere *Barhebraeum*. Ipsum enim audi Psalmi XVI. v. 2. exponentem : ܡܛܠ ܕܠܐ ܛܒܬܐ ܕܝܠܝ ܠܐ ܡܣܢܩ ܐܢܬ. ܣܘܡ ܛܒܬܐ ܠܝ ܠܐ ܐܝܬ ܒܠܥܕܝܟ ܐܪܡܢܝܐ ܐܝܟ ܣܘܪܝܝܐ. ܘܛܒܬܐ ܕܝܠܝ ܡܢܟ ܗܝ ܐܡܪ. ܘܡܢ ܗܪܟܐ ܡܬܚܙܐ ܕܐܦ ܡܢ ܝܘܢܝܐ ܐܦܩܘܗ ܐܪܡܢܝܐ ܐܠܐ ܒܣܘܪܝܝܐ ܦܚܡܘܗ ܠܦܘܚܡܗܘܢ. ܘܠܟܠܗ ܒܚܕ ܕܘܟ ܫܠܡܘܗ.

" *Quia boni mei non indiges* ; Symmachus, *bonum mihi non est praeter te* : Armenus ut Syrus dicit, *et bonum meum a te est*. *Et ex hoc constat*, quod, quamvis ex Graeco transtulerint Armeni, tamen cum Syriaco contulerunt suum exemplar, et illud singulis in locis concordare fecerunt. ,, 9 *Walton* tantum a voce ܡܣܢܩ, locum adducit, quam reddit, *res est nota*; quum tamen e contra, tantum ex textu quem tractat, *Barhebraeus* ita concludit, quam elumbi vero argumento ductus, videant eruditi. Hoc certum, non in *singulis locis* conspirare Syriacam Armeniacamque versionem.

Saepe *Barhebraeus* citat Armeniacam versionem libri Psalmorum, sed nunquam, quod sciam,

(9) Cod. Vat. fol. 86, *verso*.

aliorum librorum. Idem dicendum de *Coptica* quam sub ܐܩܘܦܛܝܐ seu ܐܓܘܦܛܝܐ sive *Aegyptiacae* nomine, singulos fere Psalmos explicans, adducit. Ex modo quo illam affert, pene diceres habuisse Syros versionem vernaculam ex ipsa Armeniaca confectam. Exemplum adducam ex commentario in Ps. V. 10. ܩܒܪܐ ܦܬܝܚܐ ܓܓܪܬܗܘܢ.. ܘ ܩܒܪܐ ܦܬܝܚܐ ܓܓܪܬܗ.. ܐܪܡ ܓܓܘܪܬ ܒܙܩܦܐ ܒܬܪܬܝܗܝܢ ܓ. " *Sepulchra aperta Gagrothun* (guttura eorum ;) Graecus textus, *Sepulchrum apertum*, *guttur eorum* : Armen. *Gogort* cum *zkopho* in utroque ܓ. „[10] Quomodo talis de punctis disputatio, si de textu Armeniaco quaestio? Eadem prorsus ratione de punctis Graeci textus passim agit; at constat ex *Brunsii* collatione, *Barhebraeum*, Graecum citantem, respicere *versionem Syriacam* ex Graeca factam.[11] Sed quamvis solummodo notet punctorum varietatem, tamen variantem lectionem adducit ab *suffixum* ut vocant adjunctum; patet enim ipsum, hoc modo, talem discrepantiam aliquando denotare. En exemplum luculentius ex Ps. VIII, ܡܛܠ ܒܥܠܕܒܒܐ ܕܒܥܠܕܒܒܝܗܘܢ ܒܟ ܡܢ ܡܕܡ ܕܢܘܢ ܡܛܠ ܒܟܠ ܡܢ ܡܘܬܐ ܕܟܠ

(10) Cod. Vat. fol. 82. *verso*.

(11) *Repertorium für Biblisc. und morgenl. Lit.* T. VIII. p. 91.

ܘܫܠܡܬ ܒܗܘܢ ܕܐܦ ܗ̇ܘ ܡܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܐܡܪ ܐܪܡܢܝܐ
ܕܝܢ ܒܦ̈ܬܚܐ ܡܢܘ ܘܒܚ̈ܒܨܐ ܢܘ ܐܡܪ ܐܟܘܬܢ. ܘܡܨܪܝܐ ܐܦ
ܐܝܣܘܦܛܐ. " *Quis* (manu) *est homo ut ejus recorderis?* Cum *phtocho* in ܡ et *hzozo* in ܢ. *Nestoriani*, *quid*, (monau) cum *zkopho* in ܡ, et *phtocho* in ܢ, et recte, siquidem etiam Graecus textus habet, *quid est*. Armenus vero, profert ut nos, cum *phtocho* in ܡ et *hzozo* in ܢ, et ita etiam Aegyptius.„

[12] Constat, hoc loco, *Barhebraeum*, cui puncta non apposui nisi quae inveniuntur in ipso Codice, ideo designare vocales, quia ex ipsis pendeat sensus differentia: scilicet, notat quomodo punctis signanda vox quae Armeniacae versioni apud Syros correspondeat.

Quod si quis quaereret quare in Psalmis Coptum Armenumque citet, nunquam vero in aliis libris, nodum solverem ex praestantissimo Codice *pentaglotto* Barberino, numero CIV. signato. Continet scilicet, librum Psalmorum, quinque conscriptum linguis. [13] Mediam latioremque columnellam occupat versio *Coptica*, aliae linguae hoc ordine disponuntur.

---

(12) Cod. Vat. fol. 84.

(13) Specimen, quamvis non accuratissimum hujus Codicis inveniet eruditus lector in tabula inserta fol. DCIV. *verso* Tomi II. *Evangeliar. Quadrup.* Cl. *Jos. Blanchini*, Romae 1749. (No. 3.) Descriptionem reperiet ib. p. DCXXIX. Codex dignus est qui integer vel edatur vel saltem conferatur. Ego quidem nonnullis in locis contuli, variantesque notatu dignas inveni, exemplum unum et alterum dabo de *Karkaphensi* loquens.

Quum Codex a *sinistra* manu exordium ducat, constat praecipuam versionem non fuisse Syriacam, sed potius Copticam, quae mediam sedem tenet, quamvis videatur a Syro conscriptus vel ad Syri alicujus usum. [14] Non improbabile igitur puto talem Codicem adhibuisse *Barhebraeum* explicantem librum Psalmorum, ita ut nullo pene negotio, linguas quas callebat, singulis fere commatibus, consulere potuerit; quo adjumento in aliis destitutus, eandem curam collationis adhibere non potuit.

(14) Hoc non deduco ex nitidiori scriptionis Syriacae forma, sunt enim in Codice nostro litterae Syriacae longe deformiores caeteris. Sed puto a Syro conscriptum, quia in exteriori margine, habeantur scholia perpetua, *Syriaco* sermone, et quidem a *prima* illa manu quae exaravit textum. Porro quis praeter Syrum, commentarium talem adjecisset? Solum medium Psalmum XVIII. attingit, et exeso, temporis dente, Codicis margine, vix intelligi potest. Accipe tamen exemplum ex initio Ps. X. ܡܙܡܘܪܐ ܕܥܣܪܐ ܠܘܩܒܠ
ܠܥܬܝܪ̈ܐ ܕܥܠܘܒܝܢ ܗܘܘ ܠܡܣܟܢ̈ܐ ܠܡܢܐ ܡܪܝܐ ܩܡܬ ܒܪܚܩܐ
ܗܕܐ ܡܠܦܐ ܢܓܝܪܘܬ ܪܘܚܗ ܕܐܠܗܐ ܒܪܚܩܐ ܗܘ
ܪܡܙܐ ܠܡܥܕܪܢܘܬܐ ܘܠܐ ܠܟܝܢܐ.
"Psal. X. Contra divites qui opprimebant pauperes. *Quare Domine*, sc. hoc docet patientiam Dei. *Procul*; hoc alludit ad *adjutorium* non ad *naturam*." Eodem modo caetera leviter illustrat.

III.
SYMBOLAE PHILOLOGICAE
AD
HISTORIAM VERSIONUM SYRIACARUM
VETERIS FOEDERIS.
ADHIBITIS, EX PARTE, FONTIBUS HACTENUS INTACTIS.
PARTICULA SECUNDA;
RECENSIONEM KARKAPHENSEM NUNC PRIMUM
DESCRIBENS.

SYMBOLAE AD HISTORIAM RECENSIONIS KARKAPHENSIS.

§. I.

Recensentur Eruditorum sententiae de TEXTUS KARKAPHENSIS existentia et indole.

Exponens doctissimus *Assemani* quid a *Gregorio Barhebraeo* in suo Commentario ad Sacros Libros praestitum fuerit, haec de criticis ejus instrumentis subjungit; " Praeterea duae aliae Syriacae, praeter Simplicem cui presse inhaeret, *Versiones* identidem citantur, nimirum ܗܪܩܠܝܬܐ *Heracleensis*, et ܩܪܩܦܝܬܐ *Karkaphensis*, hoc est, Montana, qua videlicet incolae montium utuntur." [1] Quaenam versio hoc nomine designetur, cujusnam indolis sit, contendunt, in varias partes abeuntes, Viri doctissimi. Nam ut patet, Cl. *Assemani*, in hisce nostris studiis coryphaeus, veram denotare *versionem* existimabat. Hunc secutus *Jo. Dav. Michaelis*, versionem putat fuisse a Nestorianis monticolis usurpatam. [2] E contra vero *Jac. Geor. Chris. Adler* hujus nominis *versionem* unquam extitisse negat. Sic enim ipse; " Adhibent itaque Nestoriani usui sacro versionem Syriacam antiquam non vero *Carcufensem*; quam illis ex auctoritate *Gregorii Barhebraei* tribuere voluit ill. *Michaelis*. Imo haec Carcufen-

(1) *Bibl. Orient.* T. II. p. 283.
(2) *Introd.* etc. T. I, Pa. I. p. 74.

sis ܩܪܩܦܬܐ nobis *non versio diversa*, *sed CODEX quidam INSIGNIS vulgatae Syriacae versionis esse videtur*; „ citansque unam et alteram varietatem lectionis ex *Barhebraeo*, sic concludit. " Quae certe non sunt lectiones versionis diversae, sed *codicis* cujusdam versionis vulgatae varietates. „[3] Sententiam ab hac paulo discrepantem tenet *Cajetanus Bugati*, quam tamen dubitans sic proponit: " Testis est *Gregorius Barhebraeus* plures olim extitisse apud Syros sacrorum Bibliorum versiones, *quae fortasse diversae erant unius ejusdemque Simplicis editiones*, atque has inter ܗܪܩܠܝܬܐ *Heracleensem* et ܩܪܩܦܬܐ *Karkaphensem*, hoc est montanam: „[4] Conjectura, quamvis ex parte felici, constat usum Cl. auctorem, ex eo quod *Harklensem* non tunc temporis vulgatam, *editionem* της Peschito putaverit.

Si de ipsa existentia nostrae Karkaphensis adhuc disceptabatur, quid mirum de indole nihil notum? Hinc *Eichhornius* ipsam accenset versionibus ex Graeco septuagintavirali fonte manantibus.[5] Cui assentiri videtur eruditissimus *Jahn* qui tamen fatetur ver-

(3) *N. T. Versiones Syriacae* etc. p. 33.

(4) *Daniel secundum Edit. LXX. Intt.* Mediol. 1788, Praef. p. XV. Nota *.

(5) *Zum griechischen Stamm gehören die* versio figurata ... *die* versio Karkaphensis *beim Gregorius Barhebräus*, *u. s. w.* " Originem Graecam referunt, *versio figurata* ... *versio Karkaphensis*, apud *Gregorium Barhebraeum*. „ etc. *Einleitung*, ut supra, T. I. p. 459. Cf. etiam p. 482.

sionis istius nihil nisi nomen certo cognosci: [6] nec discrepare censendus *Dé Wette*, qui ipsam inter versiones enumerat, ex Graeco desumptas. [7] Hactenus igitur de ista *versione* seu *recensione*, omnia tenebris involuta; quum vero mihi sorte jucunda obtigerit nunc tandem aliquid certi de ea proferere, veniam spero concedent Litterarum Syriacarum cultores, si non de solis *Veteris* Foederis Libris, quibus symbolas hasce destino, sed et de *Novae* Legis tabulis liberius disseruero.

§ II.

Textum Karkaphensem continet Codex Vaticanus CLIII.

Sed ubinam talis textus quaerendus nisi in ditissimo illo omnium disciplinarum promptuario, Vaticanam dico Bibliothecam? Hanc jam perlustrarat *Adler*, ut versionem istam inveniret, codices Syriaco-Biblicos evolverat, sed incassum; id vero contigit illi quod et multis aliis, ut scilicet unum quaerens aliud invenerit; nisi enim adeo sedulo Karkaphensem quaesiisset, ea non accepissemus quae de Nestorianorum Codicibus in Syriacarum disciplinarum commodum contulit. [1] Attamen jam publici ju-

(6) *Einleitung in die Göttl. Büch. des A. B.* Wien, 1802. T. I. p. 205. et *Ackermann, Introductio in LL. SS. Veteris F.* Vien. 1825. p. 58.

(7) *Lehrbuch der historich kritischen Einleitung,* etc. Berlin, 1822. p. 96.

(1) En ipsius verba. " *Desto wichtiger sind einige andere*

ris erat quod spem excitare poterat, versionem istam, si qua dabatur, tandem deprehendendi. Nam in indice Codicum Syriacorum scriniis Vaticanis ab *Andrea Scandar* invectorum, qui subnectitur secundo tomo *Bibliothecae Orientalis*, [2] recensetur Codex cui titulus: "*Onomasticon* seu lectiones V. et N. T. juxta traditionem *Karkaphitarum*.,, Describitur Codex iste, qui ibi XXII. numeratur, tanquam, "*Jacobi Edesseni* vocum difficiliorum, quae in Syriaca Veteris et N. T. versione occurrunt, recensio et punctatio.,, [3] Locum istum certe non vidit *Adler*, talem Codicem nunquam neglecturus. Sed neque vidisse puto *Eichhornium*, qui, quamvis hanc *Jacobi Edesseni* recensionem [4] nominet, titulum tamen, qui versa pagina conspicitur, neque eo loci neque de Karkaphensi agens omnino recenset. Mirarer etiam *Marshium* de hoc Codice ab *Assemano* descripto primum ab *Henrico Paulusio* monitum, de ipsius non minus quam

von den Nestorianern gemachte Abschriften des ganzen neuen Testaments, gleichfalls von der ältern Uebersetzung. Ich weiss nicht, dass sie von Gelehrten bisher untersucht worden, und sie würden vielleicht auch meiner Aufmerksamkeit entgangen, wenn ich nicht nach einer andern Uebersetzung, die den Nestorianer eigen seyn soll, und von Barhebräus die Karkufische (montana) *genannt wird, gesucht hätte. Von dieser fand ich keine Spur, aber bei der Gelegenheit, ward ich mit den nestorianischen Abschriften der gewöhnlichen Kirchenversion bekannt. Adlers kurze Uebersicht* etc. pp. 97, 98. Versionem non annecto, verborum enim sensum, quantum nostra refert, dedi in textu.

(2) P. 500.

(3) Ib. p. 499.

(4) Ubi sup. p. 478.

citationum *Barhebraei* collatione cogitasse; [5] nisi tam imperfecte Codicis descriptio traderetur in *Bibliotheca Orientali*, ut potius *glossarium* quam aliud quidquam esse putares.

Codicem igitur evolvere statui, invenique in Catalogo edito sub nomine *Jacobi Edesseni* notatum, [6] signatumque numero CLII, nunc vero est CLIII; cujus descriptionem mox dabo. Continet autem liber iste non singula tantum verba, sed et integra fere commata, ex plurimis Capitibus Sacrorum Librorum, ita saltem ut indoles textus facile possit dignosci. Exemplum primum suppeditabit specimen aeri incisum quod huic libello praeponendum curavi, quodque desumitur ex Gen. L, 2 - 7. occurritque in Codicis nostri fol. 8 *verso*.

Exodi initium sic se ibidem habet. ܗܠܝܢ ܫܡ̈ܗܐ
ܕܡܨܪܝܢ . ܥܡ ܝܥܩܘܒ ܐܒܘܗܘܢ ܕܒܢܝ ܐܝܣܪܐܝܠ ܓܒܪ ܘܒܝܬܗ
ܟܠ ܢܦܫܬܐ ܠܡܨܪܝܢ ܠܒܪ ܘܚܡܫܗ ܟܠܗ (v. 5.)
ܘܡܠܘܗ ܒܡܨܪܝܢ . (v. 7.) ܘܠܦܩܘ ܗܒ ܗܒ (v. 10.)
ܘܒܢܐ ܠܦܪܥܘܢ ܩܘܪܝܐ . (v. 11.) ܘܒܢܝܢ ܗܘܘ ܦܝܬܘܡ

(5) Ad *Michael. Introduc.* etc. T. I. P. II. p. 582.

(6) *Bibliothecae Apostolicae Vat. Codd. MSS. Catalogus. Partis I. T. I.* Romae, 1759. pp. 287. seqq. Describitur ibi Codex iste, sed in nonnullis parum accurate. Ibi appellatur recensio *verticalis* seu *montana*; diciturque hoc nomine designari a Nestorianis Jacobitas et Maronitas. Recensetur ordo librorum, citatis primis verbis, post vero satis imperfecte, ut suo loco videbimus, dantur subscriptiones,

ܥܡ ܡܦܩܢܐ ܠܡܦܪܥܗ ܠܡܫܝܚܗܘܢ

ܘܠܡܫܡܫܘܬܗܘܢ. (v. 14.) ܘܫܡܫܝܢ ܗܘܘ ܒܡܐܢܝܗܘܢ.

ܒܩܘܠܚܢܐ ܩܡܨܐ. ܘܓܙܪܬܐ ܘܟܠܒܐ.

Alterum exemplum sit ex initio Threnorum; v. 3.

ܓܠܬ ܝܗܘܕܐ ܡܢ ܫܥܒܕܘܬܐ ܘܡܢ ܣܘܓܐ

ܕܦܘܠܚܢܐ. (v. 8.) ܚܛܗܐ ܚܛܬ ܐܘܪܫܠܡ. (v. 10.)

ܐܝܕܗ ܦܪܣ ܒܥܠܕܒܒܐ ܥܠ ܟܠܗܘܢ ܪܓܝܓܬܗ. ܘܚܙܬ

ܥܡܡܐ ܕܥܠܘ ܠܡܩܕܫܗ. ܕܦܩܕܬ ܕܠܐ ܢܥܠܘܢ

ܒܟܢܘܫܬܟܝ. (v. 11.) ܟܠܗ ܥܡܗ ܡܬܬܢܚܝܢ

ܘܒܥܝܢ ܠܚܡܐ ܠܡܦܢܝܘ ܢܦܫܗܘܢ. 7.

Tandem ex Novo Foedere exemplum licet desumere

ex Mat. I. 18. ܝܠܕܗ ܕܝܢ ܕܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܗܟܢܐ

ܗܘܬ. (v. 19.) ܝܘܣܦ ܕܝܢ ܒܥܠܗ ܟܐܢܐ ܗܘܐ.

ܘܠܐ ܨܒܐ ܕܢܦܪܣܝܗ. ܘܐܬܪܥܝ ܗܘܐ ܕܒܛܘܫܝܐ

ܢܫܪܝܗ. (v. 23.) ܘܢܩܪܘܢ ܫܡܗ ܥܡܢܘܐܝܠ (v. 24.)

ܘܟܢܫ (II., v. 4.) ܐܝܟܐ ܕܡܫܝܚܐ ܡܬܝܠܕ.

(7) Fol. 87. verso.

ܦܠܚܘܗܝ ܕܒܝܬ ܩܘܪܒܐ ܘܣܘܦܐ ܕܟܬܒܐ. 8

In omnibus hisce exemplis puncta eodem modo appinxi quo inveni in Codice, exceptis *diacriticis* illis quae in specimine sculpto cernuntur: haec enim typographia qua fruimur, quamvis bene instructa, vix absque maximo incommodo ubique adjungere posset.

Titulus Operis qui verso primo folio cernitur, sic se habet. ܒܫܡ ܚܝܠܘ ܘܩܘܫܒܐ ܕܐܠܦܒܝܬܐ ܡܪܝܡܬܐ. ܘܡܫܡܫ ܒܐܘܬܐ: ܘܐܒܠ ܘܕܒܪܐ ܘܕܘܫܐ ܚܐ ܘܩܪܝܐ ܡܫܪܝܢ ܕܒܬܘܒ ܒܩܘܪܣܐ 9 ܕܫܡ̈ܗܐ 10 ܘܩܪ̈ܝܢܐ 11

(8) Fol. 159. verso.

(9) *Libellum* reddo, ex significatione apud *Castel.* sc. *quaternio chartarum*. *Catalogum* explicat eandem vocem *Assemani*, (*Bib. Or.* T. I. p. 477.) sed *certum* codicem nostrum *Catalogum* nullatenus dici posse; neque probabiliter tale nomen ferre poterat ille de quo ponit ipse, ut infra videbimus. Namque ipse illud *Lexicon* videtur putasse, quod lexicon esse nullatenus potest.

(10) *Puncta* significare puto. Nam constat in hoc codice saepius puncta ܫܡ̈ܗܐ dici, jamque in prima Commentatione (sup. p. 32.) loca ex Grammatica annexa huic ipsi recensioni adduxi hoc expresse asserentia. Neque sensus adeo cohaerere videtur, si reddamus *nominum et modi legendi*; deberet enim esse et *modi legendi nomina*, quum ad hoc manifeste destinetur Codex. Si quis vero *Onomasticon* cum *Assemano* intelligere maluerit, non ego inficias ibo, consentiet enim ei cui, his in litteris, parem eheu! nunquam vereor videbimus.

(11) *Lectiones* non sensu critico sed grammatico et philologico; rectum nimirum legendi modum innuit; eodem modo di-

ܘܕܥܬܝܩܬܐ ܘܚܕܬܐ ܐܝܟ ܡܫܠܡܢܘܬܐ [12] ܩܪܩܦܝܬܐ.
Quae sic vertere licet; "Viribus et adjutorio Trinitatis Sanctae et consubstantialis; Patris et Filii et Spiritus vivi et Sancti, scribere aggredimur libellum punctationis et legendi modi Veteris Novique (Foederis) juxta versionem Karkaphensem: „

Satis clare loqui videtur titulus iste, sed tamen duo sunt quae dubium aliquod movere possint: Primo igitur, textus hujus Codicis vix a Simplici latum unguem abhorret, ut diserte apparet in exemplis adductis. Secundo, objici posset, in ipsius Codicis margine *notari lectiones Karkaphenses* tanquam a

---

citur *Barhebraeus* a fratre *Barsama* tradidisse in suo *Arcanorum thesauro* ܐܘܨܪ ܪ̈ܐܙܐ; (*Biblioth. Or.* T. II. p. 272. (quum tamen ipse *lectionem* nunquam corriget; nisi habita punctorum tantum aut legendi modi ratione.

(12) *Versio* proprie dicta sic appellatur a Syris. Ita Codex Mediolanensis dicitur juxta ܡܫܠܡܢܘܬܐ LXX. Int. (*Bugati* etc. ut supra, libri tit.) et correcti leguntur Codd. duo Parisienses Syro-Hexaplares ex ܡܫܠܡܢܘܬܐ *Graecorum* et *Syrorum*. (*Bruns.* in *Eichhor. Repertor.* T. VIII. p. 94.) Ita etiam de alia versione seu forsan recensione dicitur. (ib. T. III. p. 175, vel *Eichhorn. Einleit.* etc. T. I. p. 472.) Aliquando eadem vox significat tantum *Commentarium*, ut in *Bib. Or.* T. III. P. I. pp. 61. (ubi *Ephraemus* dicitur scripsisse ܡܫܠܡܢܘܬܐ Librorum Sacrorum,) 86, et 87, (ubi de *Paulo Nisibeno* sermo,) et alibi passim; non secus ac ܦܫܩ ejusque derivata modo *vertere*, (Ib. p. 75.) modo *commentari* significat. (Ib. pp. 17, 26, 87, et alibi saepius.)

textu discrepantes, non secus ac illae Harklensis versionis. Exempla haec sunt.

1. Esaj. VII, 4, ܕܪܘܡܠܝܐ; in. *marg.* prima manu, ܦܫܝܛܐ ܕܪܘܡܠܝܐ.

2. Act. V, 34, ܓܡܠܐܝܠ *marg.* ܩܪ ܓܡܠܐܝܠ

3. Ib. VIII, 27, ܕܩܢܕܐܩܝ, *marg.* ܩܪ ܕܩܢܕܩܝ

4. Ib. IX, 36. ܛܒܝܬܐ *marg.* ܩܪ ܛܒܝܬܐ

5. Ib. X, 1, ܩܘܪܢܠܝܘܣ, *marg.* ܩܪ ܩܘܪܢܠܝܐ.

6. Rom. XV, 28, ܠܐܣܦܢܝܐ, *marg.* pr. ma. ܩܪ ܠܐܣܦܢܝܐ 2a, ܠܐܣܦܢܝܐ *non recte*.

7. Ib. XVI, 11, ܗܪܘܕܝܘܢ, *marg.* ܩܪ ܕܐܪܘܕܝܘܢ

8. Titulus Epist. ad Colossenses, ܩܘܠܘܣܐܝܘܣ, *marg.* ܩܪ ܩܘܠܘܣܝܐ.

9. Mat. XVI, 17, ܒܪ ܝܘܢܐ, *marg.* ܩܪ ܒܪܝܘܢܐ.

10. Ib. XXI, 1. ܒܝܬ ܦܐܓܐ *marg.* ܩܪ ܦܓܐ.

11. Ib. XXVI, 36, ܓܕܣܡܢܝ, *marg.* ܩܪ ܓܕܣܡܢܝ (Pesch. ܓܕܣܡܢ).

12. Ib. XXVII, 16, ܒܪܐܒܐ, *marg.* ܩܪ ܒܪܐܒܐ.

Haec sunt omnia loca in quibus citantur in margine Karkaphenses lectiones.

Duae istae objectiones facile diluuntur; nam quoad primam, *textus* certe essentialiter unus est cum Peschito, sed habet tales ab hac discrepantias quae recensionis nomen ipsi promereantur, quasque dabo infra, de *indole* recensionis nostrae agens. Ad hunc enim finem in priori commentatione praemonui, non ob versionis nomen, statim de vera *versione* cogitandum. Secunda quae occurrit objectio talis fateor mihi visa est, quum primum Codicem evolvi, ut me operam perditurum vererer, si Karkaphensem ibi quaererem, ubi variantes ab ea lectiones margini videbam appositas. Sed Charybdin Scylla permutaret qui inde ita concluderet; nam in Codicis margine *longe saepius* citantur variantes a textu lectiones ipsius Peschito, non minus quam Harklensis versionis. Idem igitur nodus solvendus ei qui textum nostrum *Simplicem* illum dixerit.[13] Immo expresse distinguitur textus noter a Peschito! Accipe exemplum. Rom. VIII, 15, habetur in textu ܐܰܒܳܐ adjecto in margine scholio sequente: ܦܫ̄ ܐܰܒܳܐ. ܬܐܘܕܘܣܝܘܣ ܐܝܟ ܝܘܢܝܐ ܗܢܐ ܕܒܦܣܘܩܐ ܫܪܝܪ ܡܢ ܗܕܐ ܦܫܝܛܬܐ *Simplex*,[14] *Abo*. *Theodosius* (ait;) Juxta Graecum, quod in textu (habetur) magis verum est (*Graeco conforme*) quam haec *Simplex*. „ Possem et ad singula

(13) Has omnes variantes lectiones infra dabo.

(14) Sic reddo, ut nomina jam trita adhibeam. Titulus iste ܛܽܘܒܳܢܳܐ *Beatus* vel *Sanctus*, hactenus quod sciam ignotus, semper versioni Peschito tribuitur in Cod. nostri margine.

illa loca aliquid dicere; v. g. de tertio quarto aliisque hallucinatum qui scripsit, quum lectio margini adjecta sit Peschito, quae vero in textu sistitur potius Karkaphensis, Graeco in nominibus pressius adhaerentis: quod quidem vidit et Codicis possessor nescio quis, qui in margine corrigens scripsit ad 3um locum (2a manu) ܦܩܝܕܬܐ. In quinto non minus errorem suspicor; puto enim lectionem in margine vix originem habere potuisse nisi ex commate tertio, ubi vere in casu vocandi legitur ܐܘܪܫܠܡ; quod inspiciens in alio exemplari amanuensis, discrepantiam putavit notavitque. Potius igitur *aliorum Codicum* varietates dicerem, quae quidem, ut infra videbimus, saepissime referuntur.

Sed quid plura? Illum Karkaphensem textum quaerimus quem *Barhebraeus* solus nominat et citat aliquando. Duo loca nobis tradit *Adler* [15] in quibus Karkaphensem adducit, reprehenditque: scilicet Ps. CXXXVI, 1, ubi Karkaphensem ait pro ܠܐܘܕܘ legere ܠܐܘܕܘܢ; et Ps. CVII, 23, ubi pro ܥܒܕܝ ܥܒܕܐ *gerentes negotium* citat ܥܒܪܝ ܥܒܪܐ *transeuntes transeundo*. Patet vero errorem hic esse, nam in ipsis verbis *Barhebraei* adducendis, sic magis recte scribit *Adler*: ܡܪܘܦܣܐ ܥܒܪܝܢ ܥܒܪܐ ܘܠܐ ܡܬܬܠܬ haecque sola lectio regulis grammaticis conformis est.

(15) Ubi sup. citatus pp. 31, 34.

16 Locum ipse conferre non potui, quia Codex *Barhebraei* Vaticanus, ut in priori Commentatione monui, Ps. XXXVII non excedit.

Hisce duabus lectionibus Karkaphensibus aliam adjungere possum ab eodem citatam: nempe in Ps. XXVI, 6, ubi pro ܐܬܟܪܟ Karkaphensem adducit legentem ܐܬܕܟܪܬ.

Varias has lectiones in Codice nostro quaesivi, nec irrito labore. Primus quidem versiculus Ps. CXXXV non refertur omnino in nostro Codice; unde conferri non potuit. In Psalmo vero CVII, fol. 57, legitur ܘܡܫܒܚ ܒܟܢܪܐ prout citat *Barhebraeus*.

Ita pariter in init. Ps, XXVI fol. 51 *verso*, invenitur singularis illa lectio a *Barhebraeo* pariter allata ܘܐܬܕܟܪܬ ܠܡܕܒܚܟ, *et recordatus sum altaris tui*. Alias citationes ex Karkaphensi invenire non licuit: quod si invenerint qui integra exemplaria *Barhebraei* nacti fuerint, libenter conferam, dummodo loca in Cod. nostro inveniantur. Bina tamen haec exempla sufficiunt, ad demonstrandum textum Karkaphensem tandem feliciter deprehensum; non quidem integre, sed saltem quantum sufficiat ad ejus indolem investigandam.

(16) Error vero iste potius *Andreae Müllero* tribuendus, a quo locum integrum mutuatus est *Adler*, nulla emendatione adhibita. (*And. Mülleri Dissertationes duae*, etc. *Colon. Brandenburg.* 1763. Diss. secunda. p. 40. 41.)

§. III.

Codicis Karkaphensis descriptio. De primaeva vocalium Syriacarum forma ex ipso disputatur.

Sed antequam ad ipsum textum descendam, juvat Codicis tam insignis descriptionem texere, multa enim habet notatu digna.

Codex est *in folio* ut ajunt, membranaceus, duas columnas ut mos plerumque Syris, habens in unaquaque pagina. Membrana crassa et flava, atramentum pallidum et evanidum, praesertim in punctis, ita ut saepissime vix distingui possit a minio quo puncta diacritica et librorum initia signantur: sed tamen aliquando, idem folium ex una parte pene vetustate deletum, ex altera vero recens prorsus apparet. [1] Immo versus finem libri, plurimis in locis videntur litterae a secunda manu restituta, sed tanta cura ut forma litterarum nihil prorsus immutata fuerit. [2] Certum quidem totum Codicem una manu fuisse exaratum.

Historia et aetas Codicis ex subscriptionibus patent, quarum quidem plures habet incipientes fol. penultimo. Omnes integras dabo, puncta adjungens, quae desunt omnino in Codice. Prima igitur, lit-



(1) Quod idem de celebri MS. Pentateuchi Parisiensi animadvertit illustriss. *Sacy*. (*Eichhorns Allgemeine Bibliot*. T. VIII. p. 584.)

(2) Idem, ib. p. seq.

teris Estranghelis minio depictis, punctis vero inter voces caerulei coloris, sic se habet.

ܫܘܒܚܐ: ܠܐܒܐ: ܕܡܚܝܠ: ܘܠܒܪܐ: ܕܡܥܕܪ: ܘܠܪܘܚܐ:
ܩܕܝܫܐ: ܕܡܣܝܥ: ܗܫܐ: ܘܒܟܠܙܒܢ: ܘܠܥܠܡ:
ܥܠܡܝܢ: "Laus Patri qui roborat, et Filio qui adjuvat, et Spiritui S. qui opitulatur, nunc et semper et in saecula saeculorum.,, Hanc invocationem sequitur Epigraphe eadem prima manu exarata, sed litteris ad formam recentiorem deflectentibus. Sic ergo est.

ܐܫܬܡܠܝ ܕܝܢ ܟܬܒܐ ܗܢܐ ܕܐܪܒܥܐ ܐܘܢܓܠܝܘܢ
ܒܐܝܕܝ ܚܛܝܐ ܘܡܣܟܢܐ ܟܘܪܝܐ ܐܘܟܝܐ ܫܡܫܐ ܘܕܝܪܝܐ
ܒܕܝܪܐ ܩܕܝܫܐ ܕܡܪܝ ܝܘܚܢܢ ܕܒܛܘܪܐ ܕܣܓܪܐ.[3] ܒܩܘܪܝܬܐ
ܕܩܠܝܣܘܪܐ. ܒܝܘܡܝ ܐܦܝܣܩܘܦܘܬܗ ܕܡܪܝ
ܘܡܪܝ ܝܘܚܢܢ ܪܝܫܐ. ܘܡܪܝ ܐܦܝܣܩܘܦܐ
ܘܟܠ ܕܩܪܐ ܢܨܠܐ ܥܠܝ. ܒܡܫܝܚܐ ܐܡܝܢ

(3) Monasterii hujus passim, ut infra videbimus, meminerunt scriptores. *Sigara* mons est, quem fere praecipuum Mesopotamiae nominat *Ptolemaeus*. Ορη μεν ουν εν τη Μεσοποταμια κατονομαζεται το τε Μασιον ορος . . . και ο Σιγγαρας. (*Geog.* L. V. C. XVIII. Ed. Amstel. 1605. p. 142.) Consule *Assem. Bib. Or.* T. II. *Dissert. de Monoph.* p. 117. (non num.) et T. III. P. II. p. DCCLXXIX: de *Calisura* vero, lo. primo cit. p. 80.

ܫܠܡܗ ܐܝܟ ܚܝܠܗ ܒܪܢܫܐ ܚܛܝܐ ܘܚܣܝܪܐ. ܕܘܝܕ ܗܘ
ܕܒܐܣܟܡܐ ܡܢ ܕܝܢ ܠܐ ܫܘܐ ܐܣܟܝܡܐ ܕܝܚܝܕܝܘܬܐ ܠܒܝܫ.
ܒܬܫܡܫܬܐ ܕܝܢ ܡܫܡܫܢܐ. ܒܫܘܡܗܐ ܕܝܢ ܡܢ ܐܘܪܝܢ
ܩܪܝܬܐ ܕܒܫܘܠܛܢܐ ܕܓܪܝܢ. 4 ܟܠ ܕܩܪܐ ܢܨܠܐ ܡܛܠ
ܡܪܢ. ܘܟܠܢܫ ܐܝܟ ܨܠܘܬܗ ܡܪܝܐ ܢܦܪܥܝܘܗܝ. ܘܥܠܝܢ
ܟܠܢ ܢܗܘܘܢ ܪ̈ܚܡܘܗܝ ܕܡܪܝܐ ܐܡܝܢ

" Absolutus est liber iste anno 1291 Graecorum, (*Christi*, 980.) in monasterio seu coenobio gloriosi, beati, et S. Domini *Aaron*, in Sigara (monte,) in jurisdictione Calisurae : diebus beatorum Patriarcharum nostrorum D. *Ioannis* et D. *Mennae*, et Religiosi Episcopi nostri (hujus loci) D. *N*. Scripsit autem librum, pro suis viribus, homo peccator et misericordia indigens *David*, qui professione quidem, sed praeter meritum, habitum monasticum indutus est : ordine autem diaconus; denominatione tandem (notus) ab Urin pago in jurisdictione Gerensi. Quicumque legerit oret, propter Dominum nostrum : et unicuique, juxta orationem suam Dominus rependat, et super nos omnes (sint) misericordiae Domini. Amen. ,,

Liceat hic animadvertere Epistolam a *Joanne* Jacobitarum Patriarcha ad *Mennam* Alexandrinum extare in secundo tomo Bibliothecae Orientalis, a pag. 133. ad 139.

---

(4) Probabiliter Γέῤῥα quam ad occidentalem Euphratis ripam ponit *Ptolemaeus* non longe a Berhoea. (Ib. p. 140.)

Interposito ornatu subsequitur tertia Epigraphe, eadem manu . ܐܬܠܗܘܐ ܡܢ ܬܪܓܡܢܘܬܐ ܠܐ ܠܡܫܒܐ .
ܠܡܫܡܫܢܐ ܡܢ ܩܕܡ ܦܪܘܫܐ ܕܦܫܩܬ ܐܦܝܣܩܘܦܘܬ
ܠܡܫܡܫܢܐ ܘܐܝܩܪܐ ܠܟܬܒܐ ܕܡܠܟ ܕܘܝܕ . ܗܘ ܕܩܢܐ
ܡܢ ܐܚܪ ܚܝܠܐ ܕܡܕܝܢ ܠܗ ܠܐܠܗܘܢ . ܦܢܝ ܕܝܢ ܠܗ
ܒܪܢܫ . ܐܠܐ ܕܟܢ ܕܗܘܢܝ ܡܢ ܕܐܚܪ ܐܢܫ ܒܦܢܝܐ ܠܡܟܬܒ
ܡܫܡܫܢܐ ܗܘܐ ܠܗ : ܐܦ ܕܝܢ ܘܠܟܬܝܒܘܬܐ ܕܡܠܟܝܢ
ܘܠܟܠܗܘܢ ܟܬܒܐ ܡܗܝܡܢܐ ܠܟܬܒܐ ܕܩܕܝܫܝܢ ܐܢܘܢ.
ܕܗܘܢ ܒܗܝܡܢܐ ܗܘܢ ܕܒܪܝܟܬܐ ܐܘܪܚܡ ܐܢܫ ܀
ܐܢܬ ܕܝܢ ܗܘܝܠ ܐܘ ܩܪܘܝܐ ܡܫܝܡܢܐ . ܦܘ ܠܟܬܝܒܐ
ܗܘܝܐ ܡܢ ܢܦܫ ܐܢܬ . ܡܬܦܪܢܐ ܕܝܢ ܡܕܡ ܟܦܠ ܐܢܬ.
ܦܘ ܘܠܦܘܩܕܢܐ ܕܡܪܝܐ ܡܫܡܠܐ ܐܢܬ . ܕܟܬܒܐ ܩܕܝܫܬܐ
ܐܟܠ ܡܢ ܟܬܒܐ . ܦܘ ܠܟܠܗܘܢ ܩܕܝܫܐ ܠܡܬܪ ܐܝܟܢܐ
ܢܦܫ ܐܢܬ . ܡܬܠܠܗܘܢ ܕܝܢ ܠܗܘܢ ܡܫܪܒܬܐ ܘܫܡܘܠܬ
ܒܟܬܒܝ ܩܕܝܫܬܐ ܡܬܐܪܡ : ܠܗܘܢ ܠܡܫܘܠܡܐ
ܕܟܬܒܐ ܬܡܢ . ܘܐܦ ܦܘܐ ܡܝܬܪ ܬܫܡܫ ܬܘܒ ܡܦܩܩ

ܐܢܐ ܕܝܢ ܠܐ ܗܘܝܬ ܡܬܒܛܠܢܐ ܠܟ ܡܫܡܫܢ[5] ܐܢܐ. ܐܝܟ ܕܢܘ
ܒܡܫܝܚܘܬܐ ܗܘ ܫܘܒܚܐ ܘܐܝܩܪܐ ܘܠܥܠܡܥܠܡܝܢ ܀

" Deus miserator, ne rejicias in abjectionem a facie misericordiae humanitatis tuae, pauperem et debilem servum tuum *Davidem* qui (haec) scripsit, pro viribus a Te sibi datis: non autem parum (diligentiae) contulit. Quoad ea vero, in quibus utpote coeno compactus (*i. e. homo fragilis*) transgressus sum, propitius mihi esto: quemadmodum et defunctis meis: et omnes defunctos fideles sorte tuorum Sanctorum dignos redde, illa misericordia quae Te ad crucem flexit. Amen.

Tu autem, sapiens lector, quum librum istum acceperis, et utilitatem ab eo collegeris, quum etiam praeceptum Domini adimpleveris, orationes dignas requirens a conservis, quum (scilicet) una tecum omnes Sanctos assumpseris, praecipue vero benedictam illam, Virginemque perpetuam Beatam Mariam; pro me scriptore in orationibus urge; et si errorem aliquem inveneris, corrige quaeso: non vero in me culpam omnino refundas. Immo, per Trinitatem, meditationem et decus Orthodoxorum. „

Subsequitur alia Doxologia suo margine inclusa, minio pariter, ut prima, conscripta. ܫܘܒܚܐ ܠܟ

---

(5) Sic vindicatur existentia vocis ܡܫܡܫܢ quam cum ܪ loco ܕ putat scribendam *Michaelis*: (*Ad Cast.* sub vo. ܡܫܡܫ p. 918.) quae confirmatur ex nom. ܡܫܡܫܢܘܬܐ quod deest in Lexx. habetur autem in *Bib. Or.* T. III. P. I. p. 54, *summa*.

ܫܘܒܚܐ ܠܬܠܬܝܗܘܢ ܐܒܐ ܘܒܪܐ ܘܪܘܚܐ ܩܘܕܫܐ ܠܬܠܝܬܝܘܬܐ
ܩܕܝܫܬܐ ܚܘܣ ܠܚܘܒܝ ܡܛܠ ܥܡܠܐ ܕܫܩܠܝ ܐܝܕܝ

ܐܡܝܢ ܘܐܡܝܢ ❖ " Laus ab omnibus, Tribus, Patri, et Filio et Spiritui Sancto! Sancta Trinitas, parce culpis meis, propter laborem quem subierunt manus meae! Amen et Amen. ,, Hactenus Epigraphas omnes *Davidis* manu conscriptas puto, quamvis de secunda hac doxologia non adeo certus: unaquaeque vero ornatum aliquem ipsam circumdantem habet.

Tunc succedit alia subscriptio quae respicit Codicis possessorem; sicque est. ܩܒܠܬ ܗܟܝܠ
ܣܝܡ ܐܝܕܐ ܘܗܝ ܟܝܪܘܛܘܢܝܐ (sic) ܕܩܫܝܫܘܬܐ
ܐܢܐ ܩܢܕܝܠ ܒܨܝܪܐ ܕܒܝܬ ܕܝܪܝܐ ܒܪ ܐܢܕܪܐܘܣ ܕܡܬܟܢܐ ܡܢ
ܐܘܪܘܟ ܩܪܝܬܐ ܒܫܢܬ ܐܠܦ ܘܡܐܬܝܢ ܘܬܫܥܝܢ ܘܚܡܫ
ܢܨܠܐ ܥܠ ܟܠ ܐܝܠܝܢ ܕܫܘܬܦܘܬܐ ܐܝܬ ܠܗܘܢ ❖

" Accepi igitur impositionem manus id est χειροτονιαν Sacerdotalem, ego *Kandil* minimus monachorum, filius *Andreae* qui cognominatur ab Oroch pago, anno 1295. (*Christi* 984.) Quicumque legerit oret pro omnibus qui partem habent. ,, Tunc in imo margine verba haec leguntur ܢܦܩ ܡܢ ܬܠܡܝܕܘܬܐ ܗܘܐ ܒܝ

...ܡܠܐ " Exivit ab hoc mundo, plenus . . . „ reliqua erasa sunt.

Notandum est subscriptiones has, exceptis tribus primis, saepe pene deletas, unde de uno et altero verbo dubitem, ut de voce ܘܠܡܫܡܫܘ. Ita in Catalogo edito, ubi legi ܐܘܪܟ *Oroch*, ponitur ܛܘܪܟ *Tarach*: sed leviora heec sunt, et nullius ferme momenti.

Pagina sequenti habetur alia subscriptio prima *Davidis* manu, et quamvis longior sit, tamen digna est quae integra transcribatur; ex ipsa enim textus nostri historia non parum lucis infra accipiet. Sic igitur se habet.

ܐܢܐ ܡܢ ܗܘܝܠܐ ܕܒܝܬܘܬܐ ܐܒܝܠܐ ܕܒܝܬ ܡܘܪܝܢ
ܡܬܬܠܡܝܢ. ܘܟܬܒܬ ܒܫܡܫܬܗܘܢ ܕܒܝܪ ܪܘ ܘܟܝܪܪܘܪܝܢ
ܒܗܘܢ ܡܫܡܫܝܢ. ܠܡܗܘܕܝܘܬܗܘܢ ܕܡܢ ܟܠ ܡܬܢܬܢܝܬܐ
ܘܟܠܝ ܕܒܝܫܘܬܝ: ܒܫܘܟܠܝܐ ܐܢܫܝܢ ܕܟܘܪܝܢ ܠܘܬܐ
ܘܡܫܝܢ: ܐܡܝܢܐ ܕܠܗ ܗܘܐ ܟܬܝܒ ܐܠܐ ܐܦ ܠܙܟܘܬܐ
ܢܟܬܘܒܝ ܐܝܟ ܐܘܣܦܝܗܝ. ܠܘܬܝ ܕܒܗܘܢ ܡܬܬܚܫܚܝܢ.
ܐܘ ܟܠ ܡܫܬܡܠܝܐ ܡܢ ܟܬܒܐ: ܐܡܝܢܐ ܕܬܬܩܢܐ
ܡܬܒܣܝܡܝܢ ܗܘܘ ܐܘ ܐܝܟ ܐܡܝܢܐ ܕܡܢ ܕܟܠ ܙܒܢܐ

ܐܣܘܪ̈ܝܐ ܘܐܘܟܪܢܝܬ ܡܬܬܩܦܝܢ ܗܘܘ. ܗܘ ܕܝܢ ܐܝܟܐ
ܗܘܝܐ. ܕܡܢ ܒܒܘܪܗܐ ܠܟܘܪܐ ܣܟܐ ܦܢܝ ܠܟ ܐܬܬܣܝܡ
ܐܝܟ ܡܟܝܪܘܬܐ: ܕܗܝ ܣܓܝܐܐ ܘܪܘܚܐ ܕܡܢ ܐܬܪܐ ܕܒܢܝ.
ܗܘ ܕܐܦ ܐܣܟܝܡܐ ܕܕܝܪܘܬܐ ܟܕ ܠܐ ܫܒܩܐ ܐܝܟܐ
ܐܬܒܣܡ: ܠܐ ܐܬܢܣܝܬ ܟܠ ܕܒܥܘܕܢܐ ܕܢܟܝܢ.
ܒܟܢܘܬܐ ܗܢܘܢ ܕܒܝܪܬ ܒܢܝܐ ܐܠܝܢܝܬ [6] ܐܥܒܘܕ
ܐܠܐ ܐܢ ܒܪܒܘܬܐ ܗܘܐ: ܕܡܢ ܙܥܝܪܐ ܟܕ ܐܘܪܚܬܗܘܢ
ܘܡܢܗ ܐܬܦܢܝܬ: ܣܓܝ ܕܝܢ ܒܡܟܠܐ ܒܚܣܐ ܐܠܗܝܐ.
ܦܝ ܟܪܘܟܝܐ ܡܟܠܠ ܒܚܢ̈ܐ ܐܘܪܚܬ ܘܦܫܝܛ
ܒܢܝܢܐ ܦܪܘܫ ܡܬܥܒܕܢܐ ܕܡܬܬܦܫܛ ܠܘܬܗ.
ܘܒܬܝܦܝܬ ܡܬܠܠܘܢ. ܘܕܝܪܘܬܐ. ܟܕ ܣܝܡܐ ܬܘܒܬܐ
ܕܬܘܪܐ. ܦܪܝܫܐ ܕܝܢ ܟܘ ܐܟܘܬܐ ܒܥܠܡܐ ܫܘܟܠܐ
ܕܬܘܕܝܬܗ ܀ ܘܦܪܕܟܢ ܐܢܘܢ ܡܢ ܗܢܘܢ ܕܒܝܫܘܬܐ
ܗܘܐ ܒܬܝܩܢ ܐܢܘܢ ܕܐܬܦܪܣܘ: ܦܟܪ ܕܝܢ ܘܗܘܘܟܐ
ܟܘ ܠܗܘܢ: ܦܝ ܡܬܥܒܕܝܢ ܐܢܘܢ ܢܝܫܘܬܐ

(6) Deduco a ܐܝܬ *hic* : nulla enim alia significatio tam huic loco quam alii infra occurrenti aptatur .

ܘܠܗܘܢ: ܘܟܣܦܝܩܘܬܐ ܗܘܝܐ ܠܡܫܘܡܠܝܘ
ܬܐ ܠܝܬܝܗ. ܒܝܕ ܐܝܬܐ ܡܚܣܢܢܝܬܐ ܘܡܬܘܩܢܬܐ ܕܡܠܟܘܬ
ܟܠ ܠܥܡܡܝܢ. ܐܝܟ ܕܐܦܐ ܡܢ ܟܘܡܫܬܘܬܐ ܕܡܠܟ.
ܟܦܪܘܥܬܐ ܕܡܢ ܕܡܠܟܝܢ ܟܕ ܡܫܡܥܢܐ ܠܥܡܗܘܢ ܠܐ
ܗܘܝܢ ܢܗܒܝܢ ܐܢܘܢ. ܠܟܢܘܫܝܗܘܢ ܕܢܡܠܠ ܦܘܩܕܢܐ ܕܡܠܟܗ
ܐܪܡܝܐ. ܗܟܢܐ ܕܝܢ ܘܟܢܘܫܝܗܘܢ ܕܐܬܐܘܢܝܐ ܠܥܡܠܐ ܡܥܒܕܝܢ
ܐܢܘܢ. ܐܢܐ ܡܢ ܗܟܝܠ ܒܡܐ ܡܚܟܡܘܬܐ ܡܚܝܢܝܬܐ
ܟܘܪܟܐ ܕܐܝܟ ܗܠܝܢ ܘܡܣܘܪܐ ܠܥܡܗܘܢ ܥܒܕܗ.
ܐܢܘܢ ܕܡܢ ܐܝܟ ܕܫܡܥܐ ܕܝܘܬܐ ܘܡܫܒܚܢܐ
ܘܡܬܒܫܠܢܐ. ܠܐ ܒܠܚܘܕ ܠܡܫܪܝܘ ܐܘ ܠܐܫܠܡܘ ܡܢ ܗܘ
ܕܗܘܝܢ ܟܠ ܡܫܪܐ ܟܕ ܪܘܚܐ ܒܡܝܬܪܘܬ ܠܐܠܗܘ.
ܐܟܢܐ ܕܟܠܗܘܢ ܕܡܟܝܠ ܡܫܟܚܘܬܐ ܕܡܠܟ ܐܬܟܪܐ.
ܘܒܡܬܟܝܬܘܢ ܠܐܝܡܬܐ ܡܘܡܝܐ ܕܡܫܒܚܬܐ
ܕܦܘܡܣܩܝܢܐ ܟܠ ܠܐܘܪܚܐ. ܘܐܢܫܝܗ ܡܢ ܐܝܟ ܕܟܘ
ܥܒܪ ܦܘܠܝܛܝܩܘܬܐ ܐܝܡܡܝܬܐ ܕܡܠܟ
ܦܘܢܝܗ ܠܐܘܪ ܟܘܡܪܐ ܟܠܗ ܡܟܝܐ ܐܪܙܝܬܐ. ܐܡܟܢ
ܕܡܢ ܠܗܘܐ: ܘܐܦ ܦܐܝܫ ܐܦܘܠܝܛܝܩܝܬܐ ܗܘ ܕܡܠܘ

[illegible]

« Quicumque temporum revolutionibus postea futuris, et inter homines omni aevo orituros sui memoriam, absque oblivione, servare in mente habent, operibus ad hoc aptis (ipsam) inscribunt : ita vero ut non hoc solum (respiciant,) sed ut etiam ad orationes excitent illos et sedulos faciant, qui ipsis (operibus) fruuntur. *Haec autem erant* statuae exsculptae, prout antiqui solebant, sive alia in perpetuum fundata. Mihi vero, cui inter Dei opera nomen pro more impositum est, *David*, peccatori et misero ex territorio Gerensi, qui etiam habitum monasticum licet indignus indutus sum, non quidem visum est mei memoriam, conservis meis post haec venturis, in hoc mundo relinquere, nisi ad hunc finem, ut spiritum ipsius ope hauriam. (*orationibus*

refrigerer?) Nos autem duplicem laborem impendimus, quum, sudore improbisque curis, collegerimus et composuerimus Prophetas omnes et Apostolos, utrumque Testamentum, praecipue (nimirum) Vetus, ut et Novum; accurata correctione, et non exiguis collationibus ad perfectam (operis) pulchritudinem (adhibitis.)

Vos igitur qui in opus istud offenderitis et etiam in illud meditaturi estis, quum recognoveritis curam in illud impensam, quantaque diligentia ad finem perductum fuerit, orationes vestras vivas divinasque mihi concedite, prout fidei meae aequum fuerit. Remunerationem autem vestram, quum et vobis proderitis, acciepietis: ipsos (vero) qui primum laborem in hoc (opus) contulerunt, ut et qui secundo incubuere, adjuvabitis. Equidem (hac) supplici obsecratione incitamenta ad haec et provocationem vobis reliqui: vos vero pro misericordia (digna) conservis et qui precibus annuunt, ne spernatis aut renuatis, ipsas mihi ex vilibus maxime egenti liberaliter concedere; ita ut ex vestris divitiis paupertas mea ditetur, ipsarumque (orationum) mediatione, S. Trinitas adjutrix sapientiae Christianorum, mihi sit propitia; et hic quidem pro suo beneplacito, ethicam meam politicam rite corrigat, usque ad extremum spiritum. Quum autem iste advenerit, et sententia decretoria, ab Ipsa contra omnes decisa, in me adimpleta fuerit, in pace me ad se recipiat collocetque. Sic etiam et defunctos meos; nunc quidem in Paradisi lucidis umbris cum iis qui integris moribus fidei sincerae (ornati) obierunt; quum vero anima cognatum sibi corpus

accipiet, unusquisque autem retributionem perfectam, in regno beato, cum illis qui sacerdotalia verba haec ordinaverunt et composuerunt. (*sc. cum Prophetis et Apostolis.*) Quamvis magna sit petitio, tamen per S. Trinitatem assistricem sapientiae nostrae, hanc mihi, quaeso, beatitudinem obtinete. „

Sequitur tandem ultima subscriptio quae possessorem Codicis respicit; in qua quidem notatu dignum, quam manifeste praecedens epigraphe non solum in rebus sed et in ipsis verbis pene transcripta aliquando sit. Est vero instrumentum quo Codicis possessio vindicatur ipsi *Kandil* de quo in superiori epigrapha dictum est: scribiturque manu a praecedentibus diversa.

ܒܪܫܝܬܐ ܡܢ ܗܘܝܠ ܕܗܝܡܢܘܬܐ ܠܐ ܡܬܒܨܝܢܝܬܐ:
ܘܡܫܡܠܝܘܬܐ ܡܫܒܚܬܐ ܕܝܗܝܒܘܬܐ ܕܐܠܗܘܝܬܐ: ܗܢ
ܕܠܐܢܫ ܡܢ ܗܘ ܒܗ ܟܬܝܒ ܘܡܬܩܪܝܗܘܐ ܫܡܗ
ܟܬܒܬܗܝ ܘܟܐܬܒܗ ܘܟܬܒܐ ܠܐܢܫܐ ܦܫܝܛܐ
ܘܟܬܒܬ ܕܗܝܡܢܘܬܐ ܒܗܘܢ ܐܘܢܓܠܝܬܐ ܐܢܫܝܢ.
ܘܡܬܩܪܝܗܘ ܩܢܝܗ ܡܢ ܦܢܝܬܐ ܡܪܕܝܬܐ ܟܬܒܗ.
ܕܢܣܒ ܡܢ ܐܘ ܕܢܫܩܘܠ ܐܘ ܕܢܓܢܘܒ ܘܩܢܝܗ ܠܒܝܬ
ܡܕܝܢܬܐ ܐܡܝܕ ܠܡܟܬܒܬܐ ܕܟܘܠ. ܘܐܝܟ ܕܠܕܡܝܬܐ
ܐܡܝܢ ܘܟܝܢܐ ܕܬܪܝܢ: ܠܗܘܢ ܕܟܐܡܐ ܟܐܡܐ

ܗܕܡܝܢ. ܘܥܒܕܐ ܕܡܬܩܪܝܢ ܠܪܓܠܬܐ ܡܫܡܫܢܘܬܐ
ܡܠܟܗܘܢ ܢܟܪܝܢ. ܘܡܬܝܠܕܘܬܐ ܗܝ ܡܢ ܚܕܐ ܠܐܠܗܘܬܐ
ܐܘܟܝܬ 7 ܡܢܝܐ ܠܐܠܗܘܬܐ ܘܠܡܥܒܕܢܘܬܐ ܡܫܝܚܐ: ܗܘ ܗܘܐ
ܘܡܫܝܚܐ ܐܬܝܠܕ ܒܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܕܒܪܝܬܐ ܗܘ
ܗܘ ܕܡܢ ܗܕܡܘܗܝ ܘܡܘܬܐ ܕܥܕܡܐ ܒܢܝܐ. ܩܒܝܠܐ
ܕܝܢܐ ܠܒܢܝܐ. ܘܐܦ ܡܢ ܕܠܗ ܦܪܘܫܘܬܐ ܘܚܒܝܒܐ
ܡܥܢܐ ܒܥܡܠܐ ܡܢܗ ܐܒܘܗܐ ܘܐܝܟ ܕܠܗ ܢܗܝܪ
ܒܬܒܥܬܐ ܠܐܠܗܘܬܐ ܡܢܗ ܗܘܝܐ. ܕܗܢܘܢ ܐܬܐܠܗܘ
ܟܠ ܗܘ ܕܒܥܬܝܕܘܬܗ ܒܟܠܗ ܗܘܝܐ ܕܥܒܕܘܗܝ
ܠܗ ܠܩܕܝܫܐ ܕܗܢܐ ܕܐܡܪ ܡܢ ܒܠܐ. ܗܝ ܒܗܘܢ
ܠܗ ܘܡܪܝܗ. ܗܢܘܢ ܕܠܗܘܢ ܐܘܟܝܬ. ܕܠܗܘܢ ܡܪܝܐ
ܢܦܝܠ ܚܟܝܡܐ ܘܦܘܩܕܢܐ ܡܥܡܠܐ ܗܝ ܒܠܚܘܕ ܗܘܐ
ܡܦܪܢܣ ܒܗܘܢ ܕܠܗ ܡܢܝܚ. ܒܗܘ ܕܝܢ ܕܒܗܝ
ܢܟܐ ܐܢܘܢ ܠܬܘܒܥܬܐ ܗܘ ܘܐܡܝܢܐܝܬ ܒܐܠܗܘܬܐ
ܡܫܬܠܡܐ: ܠܘܬ ܕܝܢ ܒܒܝܬܗܘܢ ܢܟܐ ܡܢ ܪܝܫܐ

(7) A verbo ܢܥܣ , ex quo ܢܥܣܐ notum vocabulum pro *stimulo*.

ܠܒܘܣܡܐ ܗܘ ܕܚܘܒܐ ܗܘ ܕܗܝܡܢܘܬܐ ܘܫܪܝܪܘܬܐ.
ܘܐܝܟܢܐ ܕܢܗܘܐ ܡܬܡܢܐ. ܘܫܪܝܪܘܬܐ ܕܠܐ ܡܬܬܙܝܥ. ܠܘܬ
ܕܝܢ ܘܠܬܐܘܪܝܐ ܕܐܠܗܝܘܬܐ ܕܐܚܝܕܐ ܒܢܝܢܫܐ ܘܡܛܠܗܕܐ ܐܘ ܠܬܠܬܝܢ
ܘܠܫܬܝܢ ܐܘ ܠܡܐܐ ⁘ ܟܠܗܝܢ ܗܠܝܢ ܕܙܪܥܐ ܚܒܝܒܐ ܘܓܒܝܐ
ܘܕܗܝܡܢܘܬܐ ܕܒܗܘܢ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܐܘܢܓܠܝܘܢ. ܡܛܠ
ܡܥܒܕ ܠܗ ܠܡܦܪܥ. ܡܛܠ ܗܠܝܢ ܕܝܢ ܐܡܪ ܐܢܐ ܐܢܫܝܢ
ܡܢܗܘܢ ܨܠܡܐ ܐܘ ܐܝܩܘܢܐ. ܕܢܚܫܐ ܘܕܣܐܡܐ ܠܡܥܒܕ
ܨܠܡܐ ܘܕܡܘܬܐ ܕܐܢܫܐ ܕܒܗܘܢ ܠܡܪܝܐ
ܘܕܟܝܐ. ܡܕܡ ܐܡܪ. ܕܒܬܘܠܘܬܐ ܕܟܝܐ. ܘܠܡܬܩܢܘ
ܘܡܛܠ ܕܩܕܡܝܐ ܘܕܡܬܩܢܝܢ ܘܪܘܚܢܝܐ ܕܠܐ ܕܟܠܗܘܢ
ܩܕܡܝܢ ܗܘܘ ܢܫܝܢ ܐܢܘܢ ܠܟܠ ܕܐܝܬܘܗܝ ܘܟܠ
ܐܝܩܘܢܐ ܕܒܗ ܐܬܚܙܝ ܒܨܝܪܐ ܕܡܪܝܐ. ܠܐ ܒܣܟܐ
ܡܟܝܠ ܒܐܝܟܢ ⁘

"Ob amorem quidem fidei inconfusae et constantiam firmam in contemplatione rerum divinarum quae homines in ea retinet, et propterea ad triginta, aut sexaginta aut centuplum semen dilectum et electum fidei in ipsis, juxta Evangelium, germinare facit; propter haec, (inquam) ipsorum nonnulli statuas celebres fecerunt, aeneas, argenteas

vel aureas, alii vero civitates erexerunt ad communem habitationem, ut essent ad memoriam perpetuam temporum subsequentium, iis (scilicet) qui successive orituri erant; et ut generationes futuras ad orationes faustas (perpetuas?) excitarent. Iisdem (pariter) ex causis, divino zelo stimulata portione Dei, et Domino grata, quae illustris conspicitur in gradu dignissimo status monastici, illo nimirum qui appellatione et cognomento adoptivo (dicitur,) *Kandil*, illustri monacho, et ipsius corporali patre sene venerando, benigno Domino *Andrea*, ipsiusque fratre Dei gratia servato, Domino *Sohdo*, inducti (isti omnes) sunt ad hoc, ut proprium facerent librum hunc punctationis ipsi *Kandil* monacho supra nominato, quum eapropter invidiam et contentionem habuerint. Quibus aequum est ut Dominus pulchra rependat et faustam retributionem, ipsis in hoc saeculo large tribuens quae sibi placita sunt: in venturo verò, ipsos dignos reddens beatitudine illa quae perpetuo apud Deum viget. Praeterea et ipsorum defunctos dignos faciat Dominus ea jucunditate, quae est in sinu illo spirituali et reficiente, ubi lux inhabitat et gaudia nunquam deficientia, nec non dulcedine quae (habetur) in habitaculis lucidis plenisque exultatione et beatitudine.

Quicumque in hunc librum offenderit, et verbis divinis in eo collectis fuerit delectatus, oret distincte pro omnibus qui partem habent in ipso libro, sive verbis sive operibus; memor dicti Davidici ajentis, *oratio mea in sinum meum reversa est*. (Ps. XXXV, 13.) Quare dic; pro orationibus Prophe-

tarum, et deprecationibus Apostolorum, et supplicationibus Doctorum, quorum verba in isto (libro) colliguntur, propitius sit Deus omnibus qui partem habent; et pro me peccatore *Ioseph* minimo monachorum, fideliter, precor, ores.,,.

Ex hisce omnibus Epigraphis resultat, subscriptionem priorem qua exaratus dicitur Codex anno 980, non esse ex alio transcriptam (quod saepe evenit,) sed revera hujus Codicis aetatem determinare. Namque ultima haec subscriptio quae inscribitur *alia manu et folio reliquis postea assuto*, certe hunc ipsum librum respicit. Porro *Kandil* ille qui Codicis possessor ultimo hoc cessionis instrumento effectus est, testatur, in anteriori subscriptione, se presbyteratum accepisse anno 984; unde, ante hoc tempus scriptus dicendus est. In fine ultimae epigraphae subscribitur litteris Estranghelis

ܒܪ ܐܢܕܪܐ ܩܢܕܝܠ ܕܝܪܝܐ " Filius *Andreae*, *Kandil* monachus,, interposita post secundam vocem avis effigie satis rudi Minerva depicta, quae fortasse locum sigilli tenet.

In prima hac recensionis hactenus desideratae descriptione, satius duxi subscriptiones integras dare; scio enim suspicionem oriri posse in lectorum mentibus, fortasse nonnulla, iis inesse quae omittuntur, ex quibus quaestiones alicujus momenti solvi possent, vel quae dubia saltem movere valerent. Et quidem quam falsum judicium lectoribus obtrudi possit ex imperfecta tantum harum rerum relatione, seu potius ex leviore tantum earumdem studio, ostendere licet ex hoc ipso Codice. Namque

in descriptione hujus Codicis in Catalogo edito, jam supra citato, integra *prima* epigrapha relata, sic habetur. " Pergit *David* amanuensis enarrans hunc laborem se suscepisse rogatu *Candili* Monachi, ejusque patris *Andreae* et fratris *Sahadae* et Monachi *Iosephi*. ,, Nunc vero, quum totas et omnes subscriptiones oculis subjectas habet lector, mirabitur credo, quomodo in tam inaccuratam descriptionem inciderint duumviri illi clarissimi et doctissimi qui catalogum concinnarunt, *Stephanus Evodius* et *Iosephus Simonius Assemani*.

Ordinem eorum quae in Codice continentur retexere inutile duco: jam enim hoc satis effecit *Assemani*, ubi ipsum describit, in secundo *Bibliothecae Orientalis* tomo, pag. 499. Pauca tantum animadvertam: et quidem primo, *Jacobi Edesseni* nomen nullibi praefigi vel subjungi tribus illis vocum recensionibus quae occupant primam libri partem, Versiones dico Sacrorum librorum, et Doctorum Graecorum. E contra vero, infra adducam momenta non levia, quae de *Jacobo* hujus Codicis auctore dubia movere debeant. Tum vero, neque satis accurate animadvertit *Assemani*, in margine versionis Harklensis " Graecis cubitalibus vocibus appositis *difficiliora vocabula* elucidari. ,, Nam voces istae Graecae nihil aliud sistunt nisi *nomina propria* hominum et locorum, et fortassis aliquando voces Graecas in textu retentas, ad vindicandam *scriptionem* et *puncta* quae *Thomas* ipsius auctor adhibuit, seu quicumque apposuit puncta. Noto haec, quia suspicor alium virum doctum putasse ex *Assemani* descriptione, haec

ad *versionem* non *scriptionem* defendendam appingi.[8]

Tandem animadvertam, *Carnem* illud *de VII mundi climatibus* quod ut *Anonymi* citavi, 9 citatque *Assemani*, forsan *Davidem Beth-Rabanensem* habere auctorem. [10]

Totus Codex, ut jam monui, una manu scriptus est, non secus ac scholia ad marginem apposita, quae varii generis sunt. Nonnulla variantes lectiones praebent; in Veteris F. libris, ex LXX Intt. quae signantur aliquando ܕܫܒܥܝܢ, sepius vero ܕܫܒ̄; et non semel ex ܦܫ̄ seu Peschito. In Novo F. citatur saepissime versio Peschito, nec non *Philoxeniana* et *Harklensis* etiam in uno eodemque loco. [11] Scho-

(8) *White, Praef. Versioni Philoxenianae*, p. XXIII.

(9) Sup. p. 31, nota 47, ubi dixi Codicem istum in *secunda* Commentatione describendum; sed tunc in mente erat omnia quae de versionibus Syriacis collegeram in una sola commentatione congerere.

(10) Vide *Bibliot. Or.* T. III. P. I. p. 256.

(11) Accipe igitur tandem prima fragmenta versionis *Philoxenianae*, ante *Thomae* recensionem, quae supra (p. 88.) pollicitus sum. Adjungam collationem cum *Whitiana* editione versionis Harklensis.

Rom. VI. 20, in *margine* sic habetur. ܕܦܝܠܘܟܣܝܢܘܣ . ܟܕ ܓܝܪ
ܐܠܝܨܝܢ ܗܘܝܬܘܢ ܥܒܕ̈ܐ ܕܚܛܝܬܐ ܚܐܪ̈ܐ ܗܘܝܬܘܢ ܠܗ̇ ܠܙܕܝܩܘܬܐ.
ܟܕ ܓܝܪ ܥܒܕ̈ܐ ܐܠܝܨܝܢ ܗܘܝܬܘܢ ܕܚܛܝܬܐ ܚܐܪ̈ܐ (*Whit.*
ܐܠܝܨܝܢ ܗܘܝܬܘܢ ܕܙܕܝܩܘܬܐ:)

I. Cor. I, 28, *tex.* ܠܐܝܠܝܢ ܕܡܬܚܫܒܢ *marg.* ܕܡܬܚܫܒܢ ܕܦܝܠܘܟܣܝܢܘܣ
(*Whit.* ܕܡܫܟܚܢ)

lia alia varietatem lectionis continent modo magis indefinito citata, scilicet praemisso ܡܫܟ pro ܡܫܬܟܚ *invenitur*, quod semel et iterum plene scriptum ponitur: aliquando vero ܒܟܪ, (ܒܟܘܪ̈ܟܐ) *in Codicibus*, vel ܐܚܪ̈ܢܐ, *alii*. Reliqua scholia vel philologica sunt, explicantque verba Syriaca rarius occurrentia, vel critica, praesertim ex *Theodosio* Syro quodam, quae orthographiam corrigunt vel probant, adducta saepius Graeca veritate, litteris tamen Syriacis. Scholia haec omnia accurate transcripsi, et infra dabo; multum enim conferre poterunt ad versionum Codicumque Syriacorum studium.

Est et aliud genus annotationis, quod nescio an alibi occurrat, nominatum vidisse non memini: nimirum, ubicumque interrogandi vim habent Sacri Codicis verba,

---

II. Cor. VII, 13. *tex.* ܐܬܒܝܐܬܘܢ *marg.* ܕܡܢ ܐܚܪܢܐ ܐܬܒܝܐܬܘܢ (*Whit.* ܐܬܒܝܐܬܘܢ)

X, 4. *tex.* ܙܝܢܐ ܓܝܪ ܕܦܘܠܚܢܢ ܠܐ ܗܘܐ ܕܒܣܪܐ *marg.* ܡܢ ܐܚܪܢܐ. ܙܝܢ̈ܐ ܓܝܪ ܕܦܘܠܚܢܘܬܐ ܕܝܠܢ ܠܐ ܗܘܘ ܒܣܪ̈ܢܝܐ ܡܢ. ܙܝܢ̈ܐ ܓܝܪ ܕܦܘܠܚܢܘܬܐ ܕܝܠܢ ܠܘ ܒܣܪ̈ܢܝܐ ܐܠܐ ܚܝܠܬܢ̈ܝܐ (*Whit.* consentit secundae huic ex Harklensi citationi.)

Ephes. VI, 12. *marg.* ܕܡܢ ܐܚܪܢܐ. ܥܡ ܕܐܚܝܕܝ ܥܠܡܐ ܕܚܫܘܟܐ (*Whit.* ܥܡ ܕܐܚܝܕܝܢ ܥܠܡܐ ܕܗܢܐ ܕܚܫܘܟܐ ܘܕܢܝܚ ܟܠܗ ܘܪܕܝ.)

Ex hisce fragmentis satis apparet non parvam mutationem in Philoxeniana versione fecisse *Thomam* Harklensem.

*

adjicitur in margine vocula ܡܫܐܠܢܐ *interrogativum*. Non inutilis esse posset talis annotatio ad sensum nonnullorum locorum investigandum ex Syrorum mente. Ut exemplum proferam, ad cel. locum Mic. V, 2. sic habetur. ܐܢܬܝ ܕܝܢ ܒܝܬ ܠܚܡ ܐܦܪܬܐ ܙܥܘܪܬܐ ܐܢܬܝ ܕܠܡܗܘܐ ܒܐܠܦܐ ܕܝܗܘܕܐ Signatur ultima vox puncto semicirculo incluso, quod pariter in margine occurrit, addita voce ܡܫܐܠܢܐ, unde reddendus esset locus, " Et tu Bethlehem Ephratensis, tune minor es quam ut una sis ex chiliadis Iudae?,, [12] Huic adjungenda vox ܠܚܝܬܐ quae eodem modo in margine apponitur, sed quidnam insinuet perspectum non habeo; videtur tamen punctum diacriticum respicere. Praeter scholia ista sunt et correctiones annotationesque aliis et longe posterioribus manibus, litteris nimirum recentioris formae conscriptae.

Numeri aliquando exprimuntur *litteris*, ut exempli gratia, II. Reg. II, 24, (fol. 63, verso,) ursae dicuntur discerpsisse pueros ܡܒ ܛܠܝܢ quadraginta et duos. [13] Ad orthographiam quod attinet praeter ea quae de indole textus agens adducam, notatu dignum censeo, ܟܠ semper signari puncto ܁ sic, ܟܠ̇,

(12) Cf. tamen eruditis. *Rosenmüllerum, Scholia in V. T.* P. VII. Vol. III. Lips. 1814, p. 156.

(13) Cod. Barber. inf. describendus habet ܡܒ:

nunquam vero ; qui quidem, Hebraico magis vicinus, sitne antiquior proferendi modus, postea ex dubio sono Arabicae *Dammae* corruptus, an vero potius dialecti discrepantia, judicent eruditi. Non raro (ut foll. 10, (bis,) 74 verso, et 142.) inveni in mutatum, addito nimirum, quod, ut specimen inspicienti constabit, in permutare valet.

Nunc tandem superest ut de *palaeographia* nonnulla dicam, quae ex levi consideratione speciminis quod, summa cura delineatum, praemisi huic tomo, melius perspicietur quam ex ulla descriptione per aures demissa. Est igitur character *Chaldaicus* ut vocat *Assemani*: quem Nestorianum dicunt alii; [14] sed fortasse contra ipsorum Chaldaeorum sententiam et nomen. Quod vero in Codice Syriaco Parisiensi a Cel. *Sacy* descripto, [15] id etiam in nostro locum habet, ut scilicet litterae a prisca illa forma ad recentiorem deflectant, quod videre licet in fine primae lineae, ubi syllaba formam hodiernam sapit.

Sed pretiosissimum longe monumentum praebet Codex noster pro punctorum Syriacorum historia. Puncta ista ad normam Graecarum vocalium primus omnium perhibetur excogitasse et adhibuis-

(14) Ita *S. de Sacy* lo. citand. p. 578. *Assemani* auctoritate nomen hoc gaudet. (*Bib. Or.* T. III. P. II. p. CCCLXXVIII.) Scio discrepantiam esse inter recentiores Chaldaeorum litteras quasdam et quae Nestorianae dicuntur, sed parva satis haec est; et melius puto ipsis Chaldaeis in appellatione consentire, quam nomina absque causa multiplicare.

(15) In *Eichhorns Allgem. Bibliot.* T. VIII, p. 580.

se *Theophilus Edessenus*. [16] Sed dubitandi causas multas video: nam nullum fundamentum hujus sententiae adducit *Assemani* nisi " non improbabilem *conjecturam*, accedente potissimum communissima *recentiorum* Syrorum *opinione*: ,, [17] quo *argumento* nihil debilius esse posset, si ipsius *confirmationem* excipias. E contra, constat *Jacobum Edessenum*, qui pluribus annis *Theophilum* praecessit, [18] puncta vocalia adhibuisse; [19] porro adhuc extant libri illi Patrum Graecorum, tam in hoc quam in aliis Codicibus, quibus appingendi puncta curam sibi assumpsit *Jacobus*, et in his omnibus adhibentur hodierna puncta ad Graecam formam efficta. Dicendum igitur esset, ipsum alius figurae vocales adhibuisse in hac Patrum recensione, quae postea mutatae ab amanuensibus fuerunt in ipsa recensione exscribenda. Sed non solum hoc maxime improbabile, nulla enim sufficiens ratio talis mutationis po-

(16) *Ecchellens. ad Hebedj. Catal.* p. 180. *Assem. Biblioth. Or.* T. I. pp. 64, 521: et ex ipso, *White*, (*Praef. ad Vers. Philoxen*. p. XXII.) quamvis alios dicat ipsa tribuisse *Iacobo Edess.* (p. seq.) nec non *Io. Dav. Michaelis*, (*Observatio de Syrorum vocalibus*, in, *Commentatt. Soc. Reg. Scient. Goetting. per annos* 1758-1762. *oblatae*. Bremae, 1763. p. 167.) *Aurivillius*, (*Dissertatio de lingua Aramaea in Dissertatt.* a *Michaele* editis. Goettingae, 1790. p. 107.) *Joan Got. Hasse*, (*Praktisches Handbuch der Aramäischen ... Sprache*, *Jenae* 1791. p. 10.) *Ewald*, (*Lehrbuch der Syrischen Sprache*. Erlangae, 1826. p. 5.) et quotquot fere de grammatica Syriaca scripsere.

(17) Ib. loco ultimo citato.

(18) Mortuus est *Iacobus* A. Christo nato 710. (*Bib. Or.* T. I. p. 468.) *Theophilus* vero, anno 785. (Ib. p. 521.)

(19) Ib. pp. 477, seq.

terit assignari ; sed et aliam nec ut puto levem difficultatem secum duceret. Si enim puncta vocalia a nostris abhorrentia adhibuit, quaenam fuerunt? Illa forsan quae ex unius alteriusve puncti positione sonum designant, qualiaque adhuc hodie in libris tam manu exaratis quam editis conspiciuntur? At scimus *Jacobum* puncta haec ut aequivoca et erroribus obnoxia rejecisse et alia induxisse.[20] Si vero *tertiam* vocalium speciem ipse excogitavit diversam a punctis quae rejecit, non minus quam a Graecis litteris post ejus obitum inductis a *Theophilo*, ubinam gentium haec puncta inveniuntur? Nullumne superest vestigium in ullo Codice hujus notandi rationis? Itane consentiunt omnes Syrorum Grammatici, *duo* vocalium genera inter se haberi; nihilque unquam viderunt aut fando audierunt de forma a *Jacobo Edesseno* inventa? Ut igitur clare statuam quid suspicari nos posse videatur de punctorum quibus nunc utimur origine, haec notatu non indigna puto.

I. Teste *Assemano*, sententia de *Theophilo* horum inventore, praeter *conjecturam* et traditionem *recentiorum* fundamentum nullum jactat.

II. De *Jacobo Edesseno* e contra scimus,

(20) Ib. *Assemani* ibidem docet *Barhebraeum* formam punctorum a *Iacobo* inventorum delineasse in sua Grammatica. Hanc non vidi, si qua videro formam notabo edamque. Suspicor formam fuisse Graecam quamvis forsan immutatam. At recentiores *quinque* tantum adhibent, *Iacobus* vero *septem* excogitavit: audio, sed infra ostendam, puncta nostra non *quinque* sed *octo* vel *novem* initio fuisse, unde faciliori ratione conciliari possunt *Iacobi* et hodierna puncta.

a) Ipsum fuisse trium linguarum peritissimum [21] quippe qui Syriacae linguae conjunxerit Graecae et Hebraicae notitiam: [22] ita quidem ut non solum linguam Syriacam suae puritati restituisse dicendus sit, [23] sed et operam in eo navaverit ut nomina Syriaca ex Graeco Hebraicove fonte promanantia ex hisce ipsis fontibus emendaret: [24] quod vix absque accurata punctandi ratione fieri potuisset.

b) Ipsum Grammaticam Syriacam conscripsisse et tractatum de punctis, [25], et quemadmodum supra monui, punctis antiquioribus, *alia formae magis ambiguitatem pellentis substituisse; quorum tamen nullum superest vestigium in Codicibus, nisi ea sint quae ad Graecum alphabetum efficta sunt*.

c) Tandem, et hoc maximi momenti est, ipsum Patrum Graecorum versionem fecisse, recensionem scripsisse vocum difficiliorum, in ipsa occurrentium, *punctis vocalibus adjunctis; epistolam annexisse huic recensioni et ipsi versioni, in qua ennixe roget*

---

(21) Ut de *Hieronymo Augustinus*. (*De Civ.* L. XVIII. c. 43. Ed. Maur. Tom. VII, col. 525.)

(22) Ita *Barhebraeus* seu *Abulpharagius*, qui pene *Augustini* verbis eum appellat افضل المجتهدين يعقوب الرهاوى المبرز فى اللغات الثلث العبرانية واليونانية والسريانية اياها ۞ " praecellentissimum studiosorum *Iacobum Rohensem* qui in tribus linguis *Hebraea*, *Graeca* et *Syra* excelluit.,, *Histor. Dynast.* Oxon. 1663. p. 51: vers. p. 33.

(23) *Bibl. Or.* T. I, p. 475.

(24) Hoc constat ex ejus *Epistola ad Ep. Sarug.* de qua plura suo loco.

(25) *Bib. Or.* lo. mox cit.

omnes qui haec exscribere debent, *ut sollicite puncta quae ipse apposuit servent*, *et*, *ut hanc epistolam praemittant exemplaribus*, *quo normam scribendi habeant*. Porro, *haec ipsa recensio invenitur una cum Epistola tam in Codice nostro*, *quam in Codice Barberino* de quo mox agam, *in utroque vero*, *voces omnes nostris punctis signantur*, *adjectis aliis nonnullis*. Nonne haec omnia suspicionem movent hisce ipsis punctis notasse *Jacobum*? Sed haec quae asserui ipsius *Jacobi* verbis probanda, ex Epistola [26] quam in prima Commentatione pollicitus

(26) Inter Opera *Iacobi Edesseni* recenset doctis. *Assemani* hanc *Epistolam ad Georgium Sarugensem*, quam viderat in Codice nostro plane simili, ut infra ostendam, in onasterio Scetensi.. (*Bib. Or.* T. I. p. 477.) Sed probabiliter quid contineret oblitus erat vir Clarus : nominat enim pag. seq. *Epistolam* ejusdem, *de Orthographia Syriaca et de punctis vocalibus* tanquam opus a priori distinctum. Constat autem unum idemque esse : nam Epistola quae in nostro Cod. occurrit ea est ad *Georg. Sarug.* missa, ut ex ipso *Assemano* constat, (T. II. p. 499.) Porro in *hac* epistola omnia inveniuntur quae ipse ex *secunda* citat, de mittendo illo libro annulo signato ad *Iulianum*, de voce *Amen*, de ܠܡܠܟܐ et hujusmodi aliis : unde constat has non duas sed *unam* esse Epistolam. Hoc libentius noto, quia vidi virum doctis. *Io. Dav. Michaelem* titulo hujus secundae deceptum, magna ex ipsa eruenda sperasse ad historiam punctorum. (*Commentationes Soc. Reg. Goetting. per ann.* 1758-1762 *oblatae*. Bremae 1763. p. 168.) Quidnam valeat ex relatis in textu apparet, judicabunt melius Philologi Syriaci, quum integram dedero. Miror tamen virum adeo acutum illud pro *certo* hausisse ex *Assemano* (ib. p. 167.) quod iste, ut vidimus, solummodo ex *conjectura* perhibet.

sum [27] integram, sed alii tomo reservo, jam vero in scriniis meis transcriptam tenens.

Ipse igitur *Assemani*, eodem quem saepius citavi loco, verba promit, quibus *Jacobus* petit ut amanuenses puncta exacte servent quae apposuit; quamvis ad puncta diacritica haec *speciatim* referri, ex tota Epistola, nullus dubitem. Sed ipsum tamen *vocales* adhibuisse ostendere possunt exempla haec. ܢܕܥܘܢ ܐܝܟܢܐ ܟܬܒܢܢ ܠܒܪܝܘܬܐ ܗܠܝܢ ܒܪܝܬܐ. ܘܠܗܠܝܢ ܠܐ ܒܪܝܬܐ. ܘܢܕܥܘܢ ܐܝܟܢܐ ܘܠܐ ܠܗܘܢ ܕܢܦܪܫܘܢ ܠܗܘܢ ܢܘܗܪܐ. ܘܢܦܪܫܘܢ ܫܘܩܐ ܒܪܝܬܐ ܘܒܪܝܬܐ ܡܢ ܗܠܝܢ ܕܒܪܝܢ. ܘܒܪܝܬܐ ܠܘܬ ܡܢ ܕܒܪܝܘܬܐ ⁘ [28] " Et sciant quomodo scripserimus haec *brjoto*,

---

(27) Sup. p. 31.

(28) Fol. 185 *verso*. Locus iste in *Cod. Barber.* sic se habet. ܢܕܥܘܢ ܐܝܟܢܐ ܟܬܒܢܢ ܠܒܪܝܘܬܐ ܗܠܝܢ ܒܪܝܬܐ ܘܠܗܠܝܢ ܠܐ ܒܪܝܬܐ ܘܢܕܥܘܢ ܐܝܟܢܐ ܘܠܐ ܠܗܘܢ ܕܢܦܪܫܘܢ ܠܗܘܢ ܢܘܗܪܐ. ܘܢܦܪܫܘܢ ܫܘܩܐ ܘܒܪܝܬܐ ܘܒܪܝܬܐ ܡܢ ܗܠܝܢ ܕܒܪܝܢ ܘܒܪܝܬܐ ⁘ ܠܘܬ ܡܢ ܕܒܪܝܘܬܐ Variantes lectiones duae in textu hoc deprehenduntur a Codice Vat. alicujus momenti: prima est quod ܢܘܗܪ̈ܐ in numero plurali ponatur, alterum quod loco ܫܘܩܐ legatur ܫܘܩܐ, adjecta voci sequenti copula, unde sic latine reddendum: " distinguant *plateas et birjotho*", etc. (et quidem ista est hujus verbi significatio.)

et haec non *birjoto*, et sciant quomodo eos oporteat punctum ipsis apponere, et distinguere nomina *birjoto* et *berjoto* ab iis quae *barjon*; (inculta) et etiam *barojoto* (externa) ab internis.,, In toto hoc loco in Cod. Barberino nulla puncta diacritica conspiciuntur, ad verba haec inter se distinguenda: in Vaticano quidem apponuntur, sed nonne amanuensi intellectu impossibilia evasissent nisi vocales aliquae ad sonos suggerendos adhibitae fuisset? in Codicibus vero, *hodiernae* appinguntur.

Fateor quidem in aliis Epistolae partibus ea haberi quae in suspicionem inducere possint, *Jacobum* eo praecipue dedisse operam, ut vocabula aequivoca punctis diacriticis supra vel infra positis discerneret; [29] locus vero adductus aliorum punctorum subsidium postulabat. Quae quum ita sint, *certum* videtur, argumentum solidum nullum extare pro *Theophilo* punctorum Graeco-Syriacorum inventore, non improbabilem vero suspicionem oriri posse vel a *Jacobo* fuisse inventa, vel saltem adhibita. Attamen quum nihil magis fugiendum mihi in studiis proposuerim, quam systematum coagmentationem, absque fundamento aliquo certo: hinc quae de *Jacobo* protuli, ea verecunde dicta velim, quasi veritatem potius expalpando et inquirendo quam rem conficiendo; unde quum Epistolam integram dedero, eamque illustravero adhibita praesertim ipsius *Jacobi* grammatica, libere pandam quidquid mihi

(29) Vide *Io. Iahn*... *Elementa Aramaicae seu Chaldaeo-Syriacae Linguae, Latine reddita* etc. *ab And. Oberleitner*. Viennae, 1820. pp. 7, 190, seqq.

videatur pro utraque parte pugnare; neque enim me unqnam brevibus Gyaris aut carcere dignum putabo, si vel in hac re vel in aliis, sive alienis argumentis convictus, sive proprio studio adductus, sententiam emendavero.

Sed quidquid de inventore harum vocalium sit dicendum, Codex quem tractamus pro earum antiquiori forma dignoscenda pretiosissimum κειμήλιον dicendus est. Specimina plurima edidit Cl. *Adler* Codicum Syriacorum et quidem antiquissimorum, [30] nullum vero exhibuit in quo vocales ad normam Graecam appingantur. Codices Syriacos vel nullibi punctis instructos fuisse, vel saltem in solis rarioribus verbis putant viri doctissimi, [31] saepiusque incul-

---

(30) Scilicet in octo tabulis aeri incisis, adjectis ad calcem magnificae Edit. Evangeliorum, curis *Andreae Birch*, Hafniae, 1788, collaborantibus *Moldenhauero* et *Adlero*. Iterum editae sunt eaedem tabulae in libro *Adleri* saepius citato, *N. T. Versiones Syriacae* etc; tandem prodierunt tertio in fine libelli cui titulus, *Olai Gerhardi Tychsen Elementale Syriacum* etc. Rostochii, 1793.

(31) *Gabriel Sionita* " primus illud punctavit: (Test. utrumque Syr.) ante enim, MSS. omnia punctis vocalibus vel prorsus destituta erant, vel si in una dictione punctum aliquod vocale notatum esset, in alia erat omissum. „ (*Walton Proleg. XIII*, no. VIII. p. 89.) Paulo infra narrat de triumviris Abyssinis a Romano Pontifice accersitis, ipsos legisse libros in lingua *Chaldaica* tanquam lingua sacra, sed absque punctis vocalibus. Error hic manifeste deprehenditur; non enim lingua *Chaldaica* tanquam lingua sacra utuntur Abyssini (de *nostra* Chaldaica loquitur *Walton*; disserens ibi de versionibus et punctis *Syro-Chaldaicis*,) sed lingua *Æthiopica*. (*rectius Abyssinica*. Cf. *Introd. a l' Atlas Ethnographique du Globe*, etc. *par Adr. Balbi* Paris, 1826. p. 108.) Erroris causa ipsi Abyssini fuerunt. Non quidem (ut in-

pant *Sionitam* ob pravam punctorum appositionem. [32] Constat vero ex hoc Codice puncta hujus-

---

nuere videtur *Elias*, a quo fabellam sumpsit *Walton*) legati erant isti aut viri conspicui, nam *legati* ex Abyssinia post Eugenii IV tempora nulli Romam venerunt; (Vide *Iobi Ludolfi ad suam Historiam . . . Aethiopicam . . . Commentarium* Francof. 1691, p. 468.) et qui *Pauli* III tempore in Europa legatus extabat, scilicet *Izaga-zabus* quem *Iagazavo* appellat *Bermudez*, (ap. *La-Croze*, *Histoire du Chris. d' Ethiopie p.* 96.) quamvis Epistolis ad Rom Pon. instructus, Romam nunquam venit, Ulyssipone diu moratus. (*Lud.* ib.) Videntur tamen fuisse Monachi, qui hospitium Romae habebant. Porro constat hos quidem saepius linguam suam sacram scilicet *Æthiopicam* (vulgaris enim Amharica est) appellasse Chaldaeam Hoc patet ex *Ioanne Potken*, ipsorum discipulo (*Epist.* ad cal. *Psalterii in quat. linguis* Colon. 1518.) qui in editione Psalterii *Æthiopici*, Romae, 1513, in praefatione tam ad Psalmos quam ad Canticum Canticorum nec non in epigrapha ad totum librum *eam* linguam appellat *Chaldaeam*: idemque repetit in *Epistola* ad calcem sui *Psalterii Heb. Graeci, Chaldaici* (Aethiopici) *et Latini*, Colon. 1518. (*Le-Long. Biblioth. Sacra*. Paris 1723. T. I. p. 43.) Eodem modo in titulo *Testamenti Novi* etc. Romae, 1548, curantibus ipsis Abyssinis, dicitur editum *lingua GHEEZ id est libera, quia a nulla alia originem duxit*; (sed pro vera *gheez* significatione cf. *notas Michaelis* ad *Lowthum*, *De Sacra poësi Hebraeorum*. Ed Oxon. 1810. T. II. p. 84, nota *s.*) *et vulgo dicitur CHALDEA*. Ex his verbis concluderem non primum omnium *Potkenium* nomen hoc finxisse, quod tamen *Ludolfus* insinuat, (*Historia Aethiop.* L. I. C. XV. Francof. 1681.) sed magistris ipsi Abyssinis accepisse. Certum saltem est, omnino hallucinatum *Waltonum* asserentem, post *Eliam*, horum linguam Chaldaicam, eam esse quae appellatur, *Aramaea*, *Targumica*, et *Babylonica*, et ex hoc argumentum adducens " quod antiquitus *Syri* puncta vocalia ignorarent." (lo. cit.)

(32) *Walton*, lo. cit. nec non saepius *Michaelis* ad *Castellum*; exempli gratia, p. 724, ad vocem [illegible] disserens. Fere co-

modi jam ante undecimum saeculum affixa fuisse, non solum difficilioribus sed et verbis maxime obviis: vix enim, credo, vox ulla in Sacris libris occurrit, quae non, aliquo in loco, suis notata punctulis hic observetur. Hinc ad orthographiam Syriacam multum conducere poterit accurata nostri Codicis collatio.

At majoris momenti est, quod hic accuratissime notetur origo Syriacarum ex Graecis vocalibus: quapropter specimini meo inserui voces Graecas ΙΕΡΟΥΣΑΛΕΙΜ quae occurrit in Codicis nostri margine fol. 156 *verso*: (ad Act. Ap. in vers. Philoxeniana:) et ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ ex fol. 159 *ver.*; in quibus omnes vocales saepius reperiuntur. Specimen scriptionis Graecae in margine Codd. Philoxenianorum obviae dedit Cl. *Adler*, [33] quamvis non nitidissimum, punctorum vero Syriacorum, quibuscum comparare possis exemplum nullum suppeditavit. Hic, e contra, ex accurata utriusque scriptionis collatione, quisque per se videbit, quam exacte ex Graecis uncialibus litteris descendant antiquiores Syrorum vocales: ܐ ex Α quae pene ut Δ scribitur; ܐ ex antiquiori Ε; et quod maxime notandum, ܐ non ut passim putatur ex ΗΤΑ, [34] sed *ex forma quam Syri* Ι *tribuebant*. Nam in toto hoc Codice Ι in vocibus Graecis *semper* scribitur Η, ut in utroque, quod adduxi, exemplo conspi-

dem modo, post *Lud. De Dieu*, punctorum appositores pro lubitu omnia fecisse, perperam judicat *Aurivillius*. (Sup. cit. p. 104.)

(33) *N. T. Versiones*, etc. p. 61.

(34) *Assem. Bibl. Orient.* T. I. p. 64.

citur : forma I soli exprimendae diphthongo EI ut in priori voce, reservata. Haec vero tam constans lex quae et in alio Codice Barberino pariter servatur, non ex defectu illo quem *itacismum* [35] dicunt, ortum habuisse dici potest, sed potius ex obfirmato usu talis formae, forsan ex ipso illo errore olim oriundo. Tandem ܘ et O in nostro Cod. exactissime convenire deprehenduntur. Istae quatuor vocales *simplices* initio solae fuerunt, ut in Codice clare conspicitur: nam hos sonos tantum habebat lingua Syriaca cum Graecis vocalibus communes. Quum igitur sonus, ܘ, non corresponderet tenui Graecorum Υ, [36] sed potius diphthongo ΟΥ, hinc Syri, pro vocali, ܘ designante, adhibuerunt hanc ipsam diphthongum, eadem prorsus forma scriptam, quam in Graecis usurpabant. Quod ut clare constet, conferat lector diphthongum ipsam in ιερουσαλειμ, cum puncto ܘ in ܐܠܨܘܠܘܒ (lin. 2.) aut, ܐܨܘܠܘܢ (lin. 9.). [37] Haec magis patent ex eo quod,

---

(35) Videsis *Woide, Nov. Test. Graecum ex Cod. MS. Alexand.* etc. Lond. 1786. Praef. p. VI.

(36) V. *Append.* ad calc. *Lexici Scapul.* col. 179. de Υ.

(37) Advertat B. L. quod jam *Adler* notavit, (lo. cit.) Syros voces Graecas in margine librorum conscribentes eas saepius (ut in nostro Cod.) a vertice imam paginam versus, exarare, indeque, vocalibus in propriam scriptionem translatis, eandem positionem servasse. Hinc vox ευαγγελιον (quae *horizontaliter* invenitur) in latus vertenda, quo vocalium convenientia discernatur. Errare etiam consendus est, ex relatis in textu, Doctis. *Assemani*, qui (lo. cit.) ܘ formam habuisse dicit ex sim-

quum in nominibus Graecis, purum υ exprimendum est, in Codice nostro adhibetur tantummodo ܝ, ut in voce ܣܘܪܩܘܣܐ quae Act. XXVIII. 12, tam in textu quam bis in margine, hac ratione Graecum υ ab ου in una voce distinguit. Sed mirabile est, neque hactenus a quovis notatum, vocalem ܝ non solum cum ܘ coalescere in diphthongum, sed et aeque cum omnibus aliis vocalibus, cujus rei exempla praebet specimen quod dedi; scilicet unionis cum ܝ in vocibus ܚܣܝܢ (in fine tertiae et initio quintae lineae,) in suffixo ܘܗܝ, (lin. 1.) in ܐܘܡܢܐ et ܥܡܗ. (lin. ult.) Ita ut quotiescumque littera ܝ signanda est, sequente ܘ, diphthongo illa signatur. Fit tamen exceptio, quum, ut credo, prior diphthongi sonus, scilicet ܝ, ad anteriorem syllabam pertinet, ita ut non unus sonus sed duo producendi. Exemplum habes in voce ܘܐܒܟܘܗܝ quae legenda, *uabca-u*; quia nempe vocalis ܝ non *unionis* est ut passim in suffixis, sed vere pertinet ad ܐ.

Pari prorsus modo coalescit cum ܐ, quod patet ex voce signata, 2, scilicet ܐܘܫܥܢܐ quam transcripsi ex fol. 137, quamque selegi quia sciebam de ejus vocali dubium moveri.[38] Similiter in ܐܘܢܓܠܝܘܢ

plici Υ. Vide formam ܝ in *Amirae* grammatica, a qua forma nescio quare recentior typographia recesserit.

(38) Vide *Lexic. Castell. a Michaele* edit. p. 19.

(sic) media vocalis composita est . Legitur eodem modo , ܕܠܡܫܒܚܘܬܐ , et ita in vocibus similibus .

Tandem non aliter coagmentatur similis diphthongus cum vocali , cujus exemplum habes in prima voce tertiae lineae ܘܢܬܥܒܕ : ex qua non improbabiliter deducere possumus , ܘ finale verborum pertenuem aliquem sonum edidisse , qui in hujusmodi verbis in diphthongum cum coalescebat , et indies , pro neglecta Syriaca vigenteque Arabica dialecto , hebescens , tandem omnino amissus fuit .

Ex hisce omnibus patet quod dictum supra est , in Codice nimirum nostro non *quinque* puncta vocalia sola esse sed *octo* vel *novem* : nulla enim ratio est cur puncta ex cum , , et composita pro punctis aeque distinctis non habeamus ac illud quod cum efformatur . Quamvis enim hoc , forma paulum mutata , recentior orthographia retinuerit , illis rejectis , tamen in Codice nostro constat omnia aeque haberi pro diphthongis .

Haec igitur fusius forsan quam decebat de Codicis vere insignis descriptione dicta sint ; nunc vero ad alia progrediamur .

§. IV.

De aliis Karkaphensis recensionis Codicibus .

Hactenus de ipsa existentia *Karkaphensium* Codd. , ut initio vidimus , decertatum est : nunc vero , non unus solus nobis occurrit sed plures :

Servatur in *Bibliotheca Barberina*, inter caeteram philologiae Orientalis gazam, praestantissimus Codex, numero CI signatus. Ipsum describit his verbis Cl. *Blanchinus*; " Est numeralis notae 101, in quo habetur pars Vet. et N. Testamenti, scilicet Prophetae, Judices, Acta Apostolorum, atque Epistolae aliquot Canonicae. Chaldaice scriptus est; caret principio et fine; videturque inter Codices XI saeculi recensendus.,, [1]

Haec descriptio quam parum sit accurata ex dicendis constabit. Vix in Codicem oculos injeceram, quum, Heus, exclamavi, quid cerno? En ipsam nostram Karkaphensem. Videbam scilicet eosdem litterarum ductus, eosdem appictos apices, ita ut primo intuitu, ejusdem amanuensis opificium crederem qui Vaticanum Codicem exaravit. Κειμηλιον arripui, pervolvi; deprehendique scriptionem quidem paulo diversam, praesertim vero quod minutior aliquantulum sit, et ܦ quod in Vaticano Cod. magis erecte, ut cernitur in meo specimine, formatur, in Barberino magis oblique, et more penitus Chaldaico jaceat. (sic, ܦ.) Habet vero puncta et simplicia et composita quemadmodum Vaticanus Codex. [2]

---

(1) *Evangeliarum Quadruplex*; Romae, 1748. T. II. p. DCXXIX.

(2) Ex hoc patebit quaenam fides tribuenda sit specimini hujus Codicis a *Blanchino* inserto tabulae fol. DCIII *versi* sub specimine Psalterii Polyglotti. Ibi enim puncta nulla sive diacritica sive vocalia conspiciuntur, quum tamen Codex utrisque scateat. Pessime etiam exhibetur ab ipso, character exilis et jejunus; nam Codex crassum potius habet et plenum, et

Sed quod nostra maxime interest, continet non minus excerpta eadem ex Sacris libris, eodem *pene* ordine ac Vaticanus Codex; eadem ex *Harklensi* recensione, eandem *Jacobi* Edesseni ad *Georgium* Sarugensem *Epistolam*, easdem *Jacobi* et *Thomae* Diaconi grammaticas, easdem PP. Graecorum Syriace vérsas homilias, eadem uno verbo omnia quae in Cod. Vaticano contenta jam descripsit *Assemani*.[3] Habet etiam in margine easdem variantes lectiones ex diversis versionibus, necnon eadem scholia quae alius, sed paulo minus liberali manu sparsa. Haec omnia dubium nullum relinquunt, quin ex uno eodemque fonte uterqué Codex promanaverit. Sed istius notas accuratius tradamus.

Est igitur formae fere quadratae, membranaceus, atramento evanescente, litteris et punctis, ut supra descripsi, exaratus. Unaquaeque pagina duas columnas exhibet. *Initio* tantum mutilus est; incipit enim ad Deut. XXVIII, 17. verbis ܦܐܪܟ ܘܐܪܥܟ : sed et in Evangelio Lucae, deest folium quod tamen charta bombycina suppletur. Desideratur igitur titulus initio operis: unde mirum non est, neminem suspicatum esse, recensionem peculiarem continere tomum istum, quod nisi ex ante accurate inspecto Vaticano Codice nunquam in mentem aber-

Vaticano ferme parem. Et quidem ita prave pinguntur litterae in hoc *Blanchiniano* specim. ut linguae Syriacae perito vix intelligi possint, e contra Codicis scriptione nihil clarius. Litterae Graecae in margine, habent eandem formam ac in Cod. Vat.

(3) Vide sup. p. 177.

rare potuisset. Pervolverat enim hunc librum peritissimus linguae Syriacae et acutus certe Criticus *Paulus Jacobus Bruns*, hocque inde compertum habeo, quod ipse sic in notis ad *Kennicottum* scribat. "Hoc etiam patet ex msto Syriaco Biblico, charactere Estranghelo conscripto bibliothecae Barberinae Romae, in cujus margine ad h. l. דש פגרא דין תקנת לי׳. *Septuaginta* (lego דשבעין) *corpus vero parasti mihi*.„ 4 Et alio loco, ait, "In msto Syriaco membranaceo antiquo, charact. Estranghelo exarato Biblioth. Barberinae, Jud. XVIII, 17, numerum *quinque* exprimi per litteram ה, 5 *viri* ה גברין.„ 5 Haec omnia nostrum Codicem solum inter Barberinos determinant, in quo solo haec inveniuntur; quum vero destitueretur titulo, quid esset, hariolari nullatenus poterat vir doctus, unde illum, *MS. Syriacum Biblicum*, latiore designatione nuncupavit.

Sed titulum fuisse eundem qui in Vaticano Cod. reperitur, non perperam ex Epigrapha colligere licet, quae habetur a tergo ultimi folii, [6] quae etiam

---

(4) *Dissertatio generalis in V. T. Hebr... auctore Ben. Kennicott. Recudi curavit et notas adjecit P. I. Bruns.* Brunov. 1783. p. 36, nota. Hebraicis litteris Syriaca scribit Cl. auctor.

(5) Ib. p. 55. et cf. *Geo. Lud. Bauerum*, in, *Salom. Glassii Philologia Sacra his tempor. accommodata*. T. II. Sec. I. Lips. 1795, p. 191. Iam supra annotavi etiam in Cod. Vat. numeros hac ratione exprimi, (sup. p. 180.) ibique in nota etiam Barberinum adduxi. Sic pariter Ios. IV, 3. legitur ܝܒ ܟ̈ܐܦܐ *XII. lapides*.

(6) Ex quo patet Codicem non esse in fine mutilum, ut dicit *Blanchinus*.

aetatem Codicis satis determinat. Sic igitur se habet, characteribus *vere estranghelis* exarata.

⁘ ܐܝܬܘܗܝ ܟܬܒܐ ܗܢܐ ܕܟܘܪܣܐ ܕܢܘܩܙ̈ܐ . 7 ܕܡܪܝ
ܕܢܝܐܝܠ ܩܫܝܫܐ ܢܨܝܚܐ ܘܡܠܦܢܐ ܫܪܝܪܐ ܘܡܗܝܪܐ ܒܪ
ܐܒܘܣܥܝܕ ܡܫ̄ܡܫܢܐ ܚܣܝܐ . 8 ܒܪ ܐܒܘܣܥܝܕ ܩܫ̄ܝ.
ܕܡܢ ܟܢܫ ܚܣܝ̈ܐ ܦܪܝܫܐ ܕܒܛܪܐ ܕܢܝܢܘܐ . ܕܒܫܢܬ
ܗܘ ܫܢܬ ܐܬ̄ܐ ܠܟܣܢܕܪܐ. 9 ܐܝܟ ܕܒܝܘܠܦܢܐ ܕܢܦܫܗ
ܘܒܨܠܘܬܗ ܡܫܝ̈ܚܝܐ ܕܡܠܟܘ . ܟܠ ܕܩܪܐ ܢܨܠܐ ܠܡܪܝܐ ܒܗܘܢ
ܘܥܠ ܟܠ ܕܐ....ܠܗ (ܕܐܫܬܘܬܦ [10]) ܒܝܡܟܬܒܐ
ܘܒܟܬ̈ܒܐ ⁘

" Pertinet liber iste *libelli punctationis* ad Dominum *Danielem*, Presbyterum illustrem et doctorem firmum et peritum, filium *Abu-Seid* Diac.

---

(7) Titulus iste idem est ac in Vat. Cod. sup. p. 155.

(8) De hac lectione non certus sum, tota enim Epigraphe nimis vetustate deleta: ut illud taceam, Codicem non esse compactum, unde in ejus tergo nunc habetur.

(9) Haec vox secunda manu; nam, intenta oculorum acie sub recentiore scriptura, leguntur haec elementa pene evanescentia: ܠܟܣܢܕܪܐ *Alexa*. Tunc vero ܕ praecedens segregandum a numero et his adjungenda, ita ut lectio sit ܫܢܬ ܐܬ̄ܐ ܕܠܟܣܢܕܪܐ *anno* 1400. *Alexandri* seu Christi 1089; Graeca enim et *Alexandri* Epocha eadem est. (V. *Assem. Bib. Or.* T. I. p. 182.)

(10) Sic certe restituenda vestigia vocis quae fere evanuit.

religiosi, filii *Abu-Isar* Presb. qui e *Beth-Sachre* [11] vico in regione Ninives: qui illum scripsit anno 1404 Graecorum; (*Christi* 1093;) ut sit ad utilitatem animae suae et mortuorum suorum qui ipsum conservant. Quicumque legerit, oret pro istis et pro omnibus qui (in libro) partem habent verbo et operibus. „

Constat credo satis hanc Epigraphen non esse ipsius *Danielis*, cujus manu exaratus Codex dicitur: non enim solent Syri se ita laudibus onerare, sed potius solemne habent *peccatorum* et *debilium* titulis sese distinguere, nec non lectorum orationes pro se non minus quam pro suis solicitare. Non igitur adeo fide digna est ut *exacte* aetatem libri determinet, potius enim antiquiorem Codicem crederem, praesertim si litterarum formam spectare velimus.

Sed et hoc annotandum non integrum Codicem ab

---

(11) Animadversione dignum Edessae fuisse plateam pene hoc nomine insignitam, scilicet ܒܝܬ ܣܚܪܐ (*Biblioth. Orient.* T. I. p. 393.) Vicum vero nostrum nullibi nominat *Assemani*. Est tamen, ni fallor, ab oriente urbis Ninives seu hodiernae *Mosul*. Sic enim *Niebuhr*; " Depuis Chaser (fluvium non procul ab oriente Mosul) on voit partout . . . beaucoup de villages. Outre ceux que l' on trouve, Tab. XLV, j' ai encore observé *Schach Amir*, *Ameidàn*, *Bàs Girtan*, et *BAS SACHRA*. „ (*Voyage en Arabie*, Amsterd. 1780, T. II. p. 283.) Probabile est ultimum hunc locum nostrum *Beth Sachre* esse. Situm habet in monte *Ain saffra*, qui nomen obtinet a flavescente fonte. Pp. 298. seqq. exhibetur catalogus locorum *omnium* sub ditione Mosulana: nec ullus invenitur qui apte correspondeat nomine, nisi iste. Est tamen et alius *Sachrà Chatun* dictus.

una eademque manu conscriptum videri, sed duplicem nactum esse amanuensem. Post enim dimidium Libri Cantici Salomoniani, secunda incipit manus, adjecta ad marginem hac notula. ܗܪܟܐ ܐܫܬܠܡ
ܗܘ ܫܘܠܡܐ. ܦܫ ܕܝܢ ܫܘܡܠܝܐ ܕܟܠܗ ܥܬܝܩܬܐ.
ܫܘܡܠܝܐ ܕܗܢܐ ܟܬܒܐ ܕܬܫܒܚܬ ܬܫܒܚܬܐ. ܘܒܪ ܐܣܝܪܐ
ܘܬܪܝܢ ܟܬܒܐ ܕܢܫܐ ܀

" Hic absolvitur istud opus. Remanet autem complementum totius Veteris (*Testamenti*, *scilicet*) complementum hujus libri Cantici Canticorum, et Bar-Asire, (*Ecclesiastici*) et duorum librorum mulierum. „ Quum post completum *mulierum librum*, (qui quid sit infra dicam), tergum folii pene vacuum remansisset, ne statim Novi Foederis lectiones inciperet, placuit potius Antiquario peritiae in pingendi arte specimen exhibere, materiamque loco optime accommodatam selegit, Christum nimirum inter utramque legem antiquam novamque medium. Pinxit igitur Jesum ita positum ut caput externum libri marginem respiciat; a cujus dextera scribitur antiquis litteris ܝܫܘܥ, a sinistra vero ܡܫܝܚܐ, ita ut continua serie legatur, *Jesus Christus*. A Redemptoris dextera, respicientis vero sinistra, sistitur alia viri effigies, qui utraque manu ab ipso recipit tabulam in qua signatur vox ܕܝܐܬܝܩܐ *Testamentum* seu *Foedus*:

supra caput vero, maximo oculorum nisu legitur

ܡܘܫܐ .... ܒܐ *Moses magnus* seu *pater*, utroque enim modo restitui possunt ultimae vocis vestigia. In alio picturae latere cernitur vir qui laeva tunica involuta librum tenet, dexteram elevatam versus Christi sinistram habens, a quo tres accipit claves quibus superscribuntur voces ܩܠܝܕܐ ܕܡܠܟܘܬܐ *Claves Regni*. Ex alia imaginis parte superne additur nomen ܫܡܥܘܢ ܪܫܐ ܕܫܠܝ̈ܚܐ *Simon caput Apostolorum*. Pictura rudi satis Minerva facta est, et antiquitate pene deleta.

Tres ut supra ostendi variantes lectiones Recensionis Karkaphensis cognoscimus ex *Barhebraeo*. Harum unam in Cod. Vaticano inveniri non posse ibi monui, quum locus in ipso omittatur.[12] Idem de Barberino dicendum est; sed alia loca quaesivi, invenique in Ps. CVII, 23, textum habere ܘܥܒܕܝܢ ܥܒܕܐ, lectionem nimirum quam Karkaphensi tribuit *Barhebraeus*, adjecto tamen in margine ܥܒܕܝܢ ܥܒܕܐ, quae lectio est vulgata. In Psalmo vero XXVI, 6; legit ܐܬܟܪܟ cum versione Simplice.

Quum igitur Codex iste eadem prorsus contineat ac Vaticanus, easdem ex singulis Libris et Capitibus lectiones, eosdem apices, easdem ad marginem va-

(12) Scilicet, Ps. CXXXVI, 5. Vide sup. p. 160.

riantes lectiones et notulas, tandem, ex parte, lectiones Karkaphensi tributas, recte deducere licet, nos duplicem hujus Recensionis Codicem nactos esse: unde magis secure de ipsius indole judicare possimus. Ut exemplum ejus utilitatis manu tractandum afferam; in Cod. Vat. ad vocem ܪ̈ܫܐ in Act. XXV, 7, obviam (pro ܪ̈ܫܝܢܐ Peschito) additur in margine sequens scholium ܘܡܫܟܚ ܪ̈ܫܐ ܘܠܐ ܚܬܝܬ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܬܐܘܕܘܣܝܘܣ ܒܝܕ ܕܗܘ ܝܘܢܝܐ ܐܛܝܘܡܛܐ ܐܡܪ. ܗ̄ ܥ̈ܠܬܐ ܒ̈ܝܫܬܐ ܡܪ̈ܫܝܢܘܬܐ ܀ [13] " Invenitur etiam ܪ̈ܫܐ sed non est accuratum, ut notat *Theodosius*, eo quod, Graecus (*textus*) αιτιωματα habeat, id est, *praetextus pravos*, *accusationes*. ,, Porro si Codicem Vaticanum solum haberemus totum scholium sensu carere dicendum esset: citaret enim variantem lectionem damnaretque, textum praeferens, quum tamen utroque in loco idem ܪ̈ܫܐ inveniretur. Forsan quidem aliquis calami lapsum suspicaretur in *scholio*, putaretque revera textum a simplice variare: haec tamen dubia penitus fugiunt Codicem Barberinum consulentem. Ibi invenitur in margine idem scholium

(13) Sic emendo ex Cod. Barber. Vaticanus omittit ܪ, habetque ܫ̈ܝܢܘܬܐ.

reprehendens lectionem ܕܡ̈ܐ ; sed in textu legitur cum Peschito ܕܡ̈ܝܐ . Sic omnia cohaerent , mendique arguitur manifesti Vaticana legendi ratio .

Sed neque isti soli Codices sunt qui hanc recensionem in se contineant . Narrat enim *Assemani* se in celebri Scetensi coenobio vidisse Codicem cui titulus ܟܘܪܣܐ ܕܫܡ̈ܗܐ ܕܟܬܒܐ ܩܕܝ̈ܫܐ ܘܩܪ̈ܝ , qui titulus idem pene est ac in Vaticano Cod. legitur, et in Epigrapha Barberini citatur . Ad hujus calcem annexam fuisse scribit , Epistolam illam *Jacobi* Edesseni ad *Georgium* Sarugensem , nec non ejusdem *Jacobi Grammaticam de Personis* , *Generibus* , *et Temporibus* ; [14] quae omnia , eodem prorsus modo , lectiones Karkaphenses excipiunt in utroque quem nactus sum Codice . Hinc pene indubie concludendum , Codicem illum Scetensem similem , omni ex parte , fuisse hisce nostris : hincque patet non minus , quod supra innui , falli virum praeclarissimum quum ܟܘܪܣܐ *lexicon* esse dicit seu *catalogum* , [15] titulus enim iste nostris Codd. nullatenus convenit .

En igitur *tertium* Karkaphensem Cod. de quo aliqua notitia ad nos pervenerit . Sed forsan suspicio

(14) *Biblioth. Orient.* T. I. p. 477. Iam supra monui *Assemanum* perperam distinguere Epistolam hanc ab alia quam describit p. seq. (V. supra p. 185.)

(15) Loc. cit. vide sup. p. 155.

oriri poterit, Codicem istum Scetensem non alium esse a Vaticano. *Illum* viderat Clarus *Assemani*, quum, Codices quaesitum, Orientales plagas pervagaretur, anno scilicet 1715: [16] *hunc* vero attulit Romam *Andreas Scandar*, ad Codices comparandos in *Aegyptum* et Syriam missus, anno 1718, qui post triennium reversus est. [17] Anne igitur fortasse hunc Scetensem Cod. ab *Assemano* visum suum iste fecit? Puto quidem rem se sic habere vix potuisse. Namque ut levem inter utriusque titulum discrepantiam missam faciam, facile enim *Assemani* non adeo accurate in itinere, titulum Scetensis transcripsit: constat Scetenses monachos, nullis precibus, nulla Patriarchae auctoritate, nulla denique pretii oblatione adduci potuisse, ut praeter unum alterumve Codicem *Assemano* concederent: quum *Elias* ipsius consobrinus nullum valuisset impetrare. [18] Addendum etiam, omnes Codices fuisse Scetensi Bibliothecae invectos a *Mose* Nisibeno, anno 932; [19] quum vero Codex Vaticanus scriptus tantummodo fuerit anno 980, certe, unus ex illis esse non potuit. Sed neque Epigraphe ulla extat in nostro Cod. ex quo colligi possit unquam extitisse in Scetensi monasterio.

Haec quidem omnia satis erroris arguunt sententiam *Adleri*, initio hujus commentationis adductam, Karkaphensem nihil aliud nisi *insignem aliquem Co-*

(16) Lo. cit. coll. *Praef. totius Op.* pp. 9. 11. (non numerantur.)

(17) *Biblioth. Orient.* T. II. pp. 485, 499.

(18) *Praef.* ut sup. pp. 7, 11.

(19) Ib. p. 7.

dicem esse a Barhebraeo citatum. Quum enim non unum sed tres jam deprehenderimus, constat *Barhebraeum* non aliquem specialem Cod. designasse. Praeterea non minus in aprico est, ipsum librum non nostris similem adhibuisse: nostri enim jam descripti, difficiliores aut saltem selectas quasdam voces tantum carptim sistunt: porro scriptor ille lectiones in suo habebat quae a nostris Codd. omittuntur. Quod quidem exemplo patet supra allato, ex commate primo Psalmi CXXXVI, ubi ipse citat lectionem Karkaphensem, quum tamen in nostris Codd. ex hoc commate nihil proferatur.

Sed quare *Barhebraeus* nullibi nisi in Psalmis citat hanc Karkaphensem? [20] Similem nodum in priore particula solvere conatus sum; fallor? aut eadem etiam hic valet solutio? Ibi enim respondi, non improbabile videri, *Barhebraeum* Coptum et Armeniacum textum in Psalmos agentem, ideo citare, quia habebant Syri hasce duas versiones cum Syriaca ita in uno volumine dispositas, ut facillima earum collatio evaderet: quod de aliis libris aequo jure asserere non licet. Quid igitur si textus illius Psalterii polyglotti Karkaphensem sequebatur recensionem; nonne pulchre satis res tota cohaereret? At tute, inquies, in textum hunc ubicumque offen-

---

(20) Saltem ex solis Psalmis desumuntur exempla *Mülleri* et *Adleri*, ut et illud quod ipse inveni. Certe in libris Psalmos praecedentibus, qui soli habentur in Cod. Vat. *Barhebraei*, frustra citationes Karkaphenses quaesivi. Harklensis, e contra, quam Karkaphensi jungit *Assemani*, (*Bibl. Or.* T. II. p. 283.) nullibi prorsus in Veteri T. a *Barhebraeo* citatur.

dere tibi fingis : audio , sed jam ante monui me *symbolas* conferre velle ad integram hujus versionis , ut et aliarum , historiam ; judicium de iis quae affero magis expertis relinquo , nihil vero mihi negligendum , quamvis leve videatur , quod sententiam maxime aequam reddere possit . Rem igitur aggredior.

In quo posita sit specialis hujus recensionis indoles mox pandam : hoc tamen constare debet , paucas illas variantes a textu simplice lectiones , vix sufficere ad novam recensionem designandam , posse vero *notas* et characteres esse quibus facili ratione textus iste discerni valeat . Jam supra vidimus Codicem Vaticanum ex tribus lectionibus a *Barhebraeo* citatis , illas duas habere , in quibus solis Codicem consulere poteram : Codicem vero Barberinum, qui manifeste ex eodem fonte promanavit , *unam* tantum habere , hancque ita in margine correctam , ut nullo negotio amanuensis qui illum librum exscribere voluisset , marginali lectione in textum adscita , ut ipsis saepius mos , omnes notas a suo apographo eliminasset , quibus , cum *Barhebraei* Karkaphensi conferri potuisset ; nec tamen illas perdidisset dotes quae hanc recensionem vere constituunt , et a Peschito discernunt .

Quae quum ita sint , Codicem illum pentaglottum quem in superiore commentatione descripsi , avide pervolvi , invenique in loco Ps. CVII. 23, illam ipsam lectionem a *Barhebraeo* in Karkaphensi reprehensam , et in duobus aliis Codd. a me jam repertam , scilicet ܘܥܒ̈ܪܝ ܠܒܚܪܐ *transeuntes*. Lectionem vulgatam habet Ps. XXVI. 6, non secus

ac Codex Barberinus jam descriptus. In Psalmo vero CXXXVII, 1, singularem habet lectionem; nempe, pro vulgato ܠܐܠܘܗ̈ܝܢ invenitur ܩܕܡ ܐܠܘܗ̈ܝܗ. Ex hoc conjicere licet, Codicem hunc, vel alium a quo manavit, correctum, hoc in loco, fuisse: quod si correctus fuerit, nonne probabilius ad emendandam pravam sensuque vacuam Karkaphensem lectionem (ܠܐܠܘܗ̈ܝܡ) stylum vertisse antiquarium, quam ad delendam accuratam concinnamque legendi rationem a Peschito occupatam?

Non improbabilis igitur conjectura est, exhibere Psalterium Barberinum pentaglottum textum Karkaphensem, vel saltem illum textum continuisse ipsius antigraphum. Quod si in hujusmodi Pentaplis, textus Karkaphensis cum versionibus Armeniaca et Coptica praebebatur, nihil mirum si *Barhebraeus*, talem librum adhibens, haec omnia in solis Psalmis commentandis citaverit.

§. V.

De indole Recensionis Karkaphensis.

Hisce praemissis de existentia et Codd. recensionis Karkaphensis, nunc ex istis quaeramus quamnam indolem habeat, quibusve dotibus a Simplice dignoscatur.

Prima igitur quaestio exoriri potest de *secta* ad cujus usum concinnata est; et utrum Nestorianis faveat, an vero Jacobitis. Video priorem sententiam ita inter eruditos inoluisse, ut textum tanquam

Nestorianum ex *Barhebraei* mente describant. Ita *Michaelis* [1], ita et *Adler*: [2] sed quonam fundamento? Nullo, quod sciam, nisi quod *Assemani*, post nominatam hanc Karkaphensem, statim adjungat, *Barhebraeum*, *praeter* ipsam et Harklensem, citare lectiones Nestorianas. Sed *Assemani* clare ab his discernit Karkaphensem, interjecta particula „*demum*. [3] Quidquid vero sit, hoc indubium, Karkaphensem non esse recensionem illam quam sub Nestorianorum nomine, singulis fere capitibus, adducit *Barhebraeus*. Hoc facili ratione evincitur ex collatione lectionum quas ipse citat, cum Codd. nostris; memoria vero tenendum, quod in fine praecedentis Commentationis monui, lectiones illas pun-



(1) *Introduct.* etc. Vers. Angl. 4. Ed. Vol. II. P. I. p. 74. " The Nestorian Christians who inhabit the mountains of Assyria . . . have a peculiar version called the Karkufite. „ Hoc est: " Christiani *Nestoriani* qui montana Assyriae colunt . . . habent peculiarem versionem Karkuphensem appellatam. „

(2) Eam appellat, " *einer Uebersetzung die den Nestorianer eigen seyn soll, und von Barhebräus die Karkufische* (montana) *genannt wird*: „ seu " Versionem quae Nestorianis propria esse debet, et a *Barhebraeo* Karkuphensis, seu montana appellatur. „ *Kurze Uebersicht*, etc. p. 97.

(3) *Bib. Orient.* T. II. p. 283. Vide *Marshium* accurate disputantem, hac de re, in notis ad suam *Michaelis* versionem, sup. cit. Vol. II, P. II. p. 582. Annotandum Virum doctissimum falli, quum concludit, non minus versionem distinctam esse Karkaphensem quam Harklensem, eo quod eodem modo nominentur ab *Assemano*. Nam neque iisdem locis a *Barhebraeo* citantur, ut innui supra; (p. 204. nota 20.) neque, ut patet, unquam ostendit Clariss. *Assemani* se ullam notitiam habere Karkaphensis nisi ex citationibus *Barhebraei*, qui simplici formula ܡܢܩܦܐ utitur, quae recensionem exprimere satis potest.

ctorum vocalium discrepantias vix excedere. Nam quamvis modo conspirent lectiones istae, saepius tamen in varias abeunt partes. Exemplum singulare consensus, et alicujus momenti, ut infra ostendam, ad hujus *Editionis* auctorem investigandum, desumi poterit ex prima Geneseos voce, quae in Cod. Vat. scribitur ܒܪܫܝܬ; in quam primam vocem sic disserit *Barhebraeus*. ܒܪܫܝܬ ܥܡ ܪܒܨܐ. ܢܣܛܘܪܝܢܐ ܥܡ ܙܩܦܐ... ܗ̄ ܡܫܘܕܥ ܒܪܫܝܬ ܘܒܫܘܪܝܐ ܘܡܛܠܗܕܐ ܠܐ ܥܡ ܙܩܦܐ ܐܠܐ ܥܡ ܪܒܨܐ ܗ̄ ܙܕܩ ܕܢܬܩܪܐ *Brischith*: cum *Chbozo*, ; *Nestoriani* cum *Zkopho* (signant.) Significat *in initio* et *principio*, et propterea, non cum *Zkopho*, sed cum *Chbozo* legi oportet . „ Talia exempla colligere facili ratione possem, pluraque jam collegeram, sed statim, facta collatione, vidi saepius longe, a Nestorianis lectionibus recedere Codd. nostros, vulgatoque adhaerere exemplari. Exempla haec sufficiant ex Gen. VIII, quae occurrunt in Codicis Vat. fol. 3.

Cod. Vat.	Barheb. in Comment.
1. ܐ̄ܬܒ.	1. ܐ̄ܬܒ. ܢܩ ܒܡܠܝܐ ܘ ܦܘܪܢܫ.
2. ܐܬܟ̈ܠܝܘ.	2. ܘܐܬܟ̈ܠܝܘ ܢܩ ܐܬܟܠܝܘ.
3. ܘܡܬܬܐܒ.	3. ܘܡܬܬܐܒ ܢܩ ܒܡܠܝܐ ܢܩܝܫ.
4. ܒܥܣܝܪܝܐ.	4. ܒܥܣܝܪܝܐ ܢܩ ܒܥܣܝܪܝܐ ܒܡܠܝܐ ܐ̄ ܘܦܬܚ ܢܘܚ.

In hisce omnibus exemplis , quae absque delectu congessi , percipient eruditi , quomodo recedat a lectione Nestoriana Karkaphensis nostra . Sed nec praetermittendum , *Barhebraeum* in Psalmos agentem citare passim Nestorianos legendi modos ; [4] porro vix probabile esset , ipsum , eandem versionem , eodem in loco , duplici Karkaphensis et Nestorianae nomine designasse .

Sed ut Religio hujus textus rectius perspiciatur, ad examen revocare necesse esset , loca illa in quibus Nestoriani Codd. a nostris passim abscedunt . [5] Haec omnia se posse conferre volebat *Michaelis* ; sed vereor ne adhuc ipsius votum nutriendum sit , itineratorem quempiam doctum a Tigris ripis Codicem integrum hujus recensionis avecturum ; [6] quos enim nacti sumus , hac in parte , nihil nos juvant . Jam enim monui non integra serie textum sisti , sed carptim tantum et intercise . Consului , igitur , Act. XX. 28, ubi textus sic habet ; ܕܐܘܪܒܟܘܢ ܒܓܠܗ ܪܘܚܗ ܕܐܠܗܐ، ܐܦܝ̈ܣܩܘܦܐ neque plura subjungit ; unde scire non possumus utrum , *Ecclesiam* DEI legerit , an vero CHRISTI . Contuli eadem ratione I. Cor. V. 8; I. Tim. III, 16; Heb. II. 9, et omnibus hisce in locis hiatum in textu inveni . Contuli pariter I, Io. V, 7, nihil sperans : jam

(4) Exemplum dedi in priore Comment. p. 144.

(5) Quae recensentur ab *Adlero* . (*N. T. versiones* etc. pp. 99. seqq.)

(6) Ubi sup.

enim sciebam ab omnibus Syriacis Codd. locum exulare: neque, Rom. X, 1, videre licebat, quamnam lectionem recensio sequatur. Hinc ex internis notis nihil prorsus expiscari possumus, ad sectam decernendam in cujus commodum ipsa fuerit concinnata.

Sed forsan aliquod lumen in hanc quaestionem affundere alia poterunt. Et quidem primo, vidimus Vaticanum Codicem scriptum fuisse in *Monasterio S. Aaron Sigarensi*. Porro certo constat, monasterium hoc in manibus non Nestorianorum sed *Jacobitarum* fuisse: immo, fuisse locum ex quo Patriarchae Jacobitarum aliquando ad summum Ecclesiasticae dignitatis culmen cooptati evectique fuerunt, [7] et ubi tandem vita functi, sepultura aliquando decorari solebant. [8] Certi igitur esse possumus Codi-

(7) *Biblioth. Orient.* T. II. pp. 354, 361.

(8) Ib. p. 355. Scio *Assemanum* inter sedes Episcopales *Nestorianorum* nominare etiam *Sigaram*: (Ib. T. III. P. II. p. DCCLXXIX.) sed certum, *monasterium* hoc fuisse Monophysiticum. Et quidem operae pretium esset inquirere, utrum Sigara illa quae sedes Episcopalis erat, eadem fuerit ac mons, (aut urbecula in eo posita,) ubi situm erat coenobium istud. *Assemano* quidem unus est idemque locus, (cf. cum lo. cit. T. II. *Dissert. de Monophys.* p. 117,) sed dubito. Nam *Ptolemaeus* praeter montem illum, (cit. p. 162. nota,) nominat etiam *urbem Sigaram*, eodem prorsus nomine ac montem, sed longe diverso situ et sub diversis gradibus. (Ed. cit. p. 143.) Hujus duplicis Sigarae oblitus videtur *Assemani*, *Cellarium* erroris arguens eo quod urbem hanc ad Tigrim sitam dicat, (lo. cit. ex T. II,) quum *Ptolemaeus* qui diserte distinguit inter *montem*, (ubi S. Aaron coenobium,) et *urbem*, hanc expresse dicit ad Tigrim esse positam. Urbs ista satis Nisibi propinqua, unde facile Nisibenum Episcopum habuisset Metropolitam, ut habuisse

cem hunc fuisse a viro *Jacobita* exaratum. Adde etiam, epocham ab amanuense dari ex Patriarchis *Jacobitarum*, *Joanne et Menna*.

De religione illius qui Barberinum Cod. scripsit, ex patria aequum judicium ferre non licet. Si enim *Beth Sachre*, ubi illam posui vere sita sit, videretur potius Nestorianorum partibus adhaesisse. Nam ex iis quae narrat *Niebuhr* istorum secta iis in regionibus dominata plurimum est.[9] Primo aspectu confirmata apparet origo Nestoriana Codicis istius ex eo quod, quum *Theodosii* scholia in margine citantur, post ejus nomen addatur titulus ܪܒ, quem a *Nestorianis* presbyteris tribui, auctor nobis est *Assemani*,[10] qui tamen in Cod. Vat. nunquam invenitur. Attamen et Codex Barberinus praebet signa luculentissima originis *Jacobitici*. Etenim ad historiam Gideonis, in Judicum libro, apponitur in margine scholium, cum titulo: ܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܣܘܝܪܐ *Sanctus* Mor *Severus*.[11] Certe neque Orthodoxus ne-

---

certo scimus; (Lo. cit. ex T. III;) e contra, si sedes Episcopalis in *monte*, in quo neque oppidulum situm fuisse compertum habemus, potius ad jurisdictionem Ninives pertinuisset.

(9) Ubi sup.

(10) *Biblioth. Orient.* T. III, P. II. p. DCCXCIX. Sed quamvis de Nestorianis agat, forsan verba non ad hos solos restringenda, quod etiam ex T. I. p. 216, deduci potest. Non ergo multum huic animadversioni insistendum: tantummodo ostendit titulum honoris in uno Cod. tribui qui in alio non comparet.

(11) Scholium hoc solummodo applicat mystice quae narrantur in Sacro Codice, de modis quibus Gideonis milites, ad fluvium perducti, aquam biberunt.

que Nestorianus illum Monophysitarum antisignanum *Sancti* nomine honestasset; verba vero ista, eadem manu qua totus Codex, exarata sunt. Et quidem illis in regionibus saepe pro exiguis locorum distantiis maxime viariatur religionis secta: ita ut quamvis *Karmelis* oppidulum totum a Nestorianis et orthodoxis qui ipsorum partes reliquerunt, sit occupatum,[12] tamen *Baratol*, quod tria millia, et *Karakosch*, quod mille passus distat a Karmelis, soli tenent Jacobitae.[13] Inter hos vero locos jacet Beth-Sachre.

At non solum speciales notas hujus *Jacobitici* originis habet uterque Codex, sed et sunt utrique communia quae idem evincunt. Nam habet uterque adjectas *Severi* Antiocheni homilias, praefixo semper titulo ܩܕܝܫܐ seu *Sancti* qui nisi ab illius sectae homine adjectus nunquam fuissent. Habent pariter ambo Codd. Harklensis versionis lectiones et puncta, additis, quae supra dedi, fragmentis Philoxenianae purioris; quum tamen nemini non notum, versiones istas a Jacobitis in suorum gratiam fuisse concinnatas.

Ex istis omnibus patet hactenus deceptos fuisse viros supremi, in his studiis, subsellii, quum Nestorianam originem huic recensioni tribuerunt: nam certissimum videtur, eam *Jacobiticam* potius esse.

Peculiarem habet *librorum ordinem* recensio ista, tam a Simplicis quam a Nestoriano abhorrentem. Ipsum recenset *Assemani* sub nomine *Onomastici Ja-*

(12) *Niebuhr*, ubi sup.
(13) Id. ib. p. 285.

*

cobi, [14] quo Codicem nostrum, ut initio vidimus, designat. Ordinem pariter librorum ex libris aliis manuscriptis Syrorum simul tradit, Nestorianorum vero divisionem satis accurate notavit *Jac. Geor. Adler.* [15]

Incipit igitur Codex Vaticanus a *Pentateucho*, in quo duplex cernitur divisio, prima in ܨܚ̈ܚܐ quorum Genesis 34 habet, quae a *Barhebraeo* aliisque Commentatoribus observatur: altera plane Rabbinica in sectiones ex facto vel actore praecipuo de quo sermonem habent, nomen desumentes. Tales sunt ܡܘܠܟܢܗ ܕܐܒܪܗܡ *promissio Abraham*, a qua aeram, ut alibi videbimus, pro Hebraeorum historia ducunt Syri; ܢܣܝܘܢܗ ܕܐܒܪܗܡ, *tentatio Abraham*, (de Isaac immolando;) ܬܘܠܕܬܗ ܕܥܣܘ *generatio Esau* et aliae harum instar. [16]

Post Pentateuchum, et *Josue*, (fol. 32.) inci-

(14) Ad *Hebedjesu Catal. Biblioth. Or.* T. III. P. I. p. 4: et pp. seqq. alios Catalogos LL. SS. enumerat.

(15) *Kurze Uebersicht*, etc. pp. 103, seqq.

(16) Syri etiam in hoc Judaeos magistros secuti sunt, quod *commata* uniuscujusque libri accurate numeraverint, et tradiderint, ita ut et ipsi suam *Massoram* fecisse dicendi sint. In Psalteriis tam editis quam manu exaratis, initio uniuscujusque Psalmi semper datur numerus ܦܬܓܡ̈ܐ. Inter tractatus in fine utriusque Cod. Karkaphensis, habetur exacta enumeratio horum ܦܬܓܡ̈ܐ in uno-quoque libro tam Veteris quam N. T.

pit liber *Judicum* hoc praemisso titulo . ܦܘܫܩܐ
ܕܣܦܪܐ ܕܕ̈ܝܢܐ ܕܒܢ̈ܝ ܐܝܣܪܐܝܠ
ܕܡܬܩܪܐ ܥܒܪܐܝܬ ܫܦܛܐ
Puncta Libri Judicum filiorum Israel qui vocatur Hebraice *Schaphte* . „ [17]

Hunc librum excipit *Job* ; (fol. 36 ;) tuncque sequitur *Samuel* , (fol. 41 *verso* ,) sub quo titulo uterque illius nominis liber comphrehenditur , et *David* seu Psalmorum collectio . (fol. 50.)

Post Psalmos , (fol. 58 *verso* ,) inveniuntur sequentia ܗܝܡܢܘܬܐ ܕܬܠܬܡܐܐ ܘܬܡܢܬܥܣܪ ܐܒܗ̈ܬܐ ܗܢܘܢ
ܕܐܬܟܢܫܘ ܒܢܝܩܝܐ. ܘܣܠܩ ܘܝܬܒ [18] ܡܢ ܝܡܝܢܐ
ܕܐܒܘܗܝ ܥܕܬܐ ܫܠܝܚܝܬܐ ܩܬܘܠܝܩܝ ܘܡܫܒܚܬܐ.
ܫܠܡܘ ܦܘܫܩܐ. ܘܩܪ̈ܝܢܐ ܕܕܘܝܕ ܢܒܝܐ ܀
" Symbolum tercentum decem et octo Patrum , qui congregati sunt Niceae . *Et ascendit . . . et sedet a dextera Patris sui . . . Ecclesiam Apostolicam , Catholicam , et gloriosam* . Finem faciunt puncta et lectiones David Prophetae . „

Subsequitur liber *Regum* , (ib.) tuncque *Esajas* , qui in 30 capita dividitur , (fol. 66 , *v.*) et

(17) Vide *Ephraemi Opera* . T. I. p. 308, A.

(18) Codex Barber. habet ܘܝܬܒ ܘܫܟܚ ܝܬܒ . " *Seditque* et invenitur , *sedensque* . „

Prophetae minores consueta serie ; (fol. 75 ;) et post hos *Jeremias* . (fol. 83.) Post verba commatis 63 , Capitis LI , reperitur in textu minio exarata notula haec ܥܕܡܐ ܠܟܐ ܦܘܣܩܐ ܦܬܓܡܘܗܝ ܕܐܪܡܝܐ ܢܒܝܐ " Hucusque commata Jeremiae prophetae . " Deinde continuatur textus ad *Threnos* , qui continua serie ut vaticinii pars leguntur , (fol. 87 , *v.*) cujus Caput 33 efficiunt ; numeranturque , 1 , 2 , 3 , et quartus . Tunc habetur *Jeremiae oratio*, et (fol. 88 , *v.*) *prima* datur *Baruch Epistola* prout in T. IV. Bibliorum *Waltonianorum* legitur . Sequitur (fol. 89 , *v.*) *secunda Baruch Epistola* , quae eadem est ac *liber Baruch* : [19] hancque excipit apochrypha Jeremiae Epistola (fol. 91 , *v.*) in polyglottis pariter edita .

Succedit *Ezechiel* , (ib.) qui 28 Capitibus absolvitur , cui adhaeret *Daniel* , (fol. 98 ;) intextam habens historiae Ananiae (pag. seq.) ipsiusque sociorum , *orationem* et *canticum Azariae* . In variis Danielis visionibus inseruntur minio nomina regnorum et Regum, ad quos visiones illae alludere censentur . Ad hujus calcem , (fol. 100 ; *v.*) adjungitur ܕܥܠ ܦܬܟܪܐ seu , *De idola Bel* , historia nimirum Bel , et infra ܬܢܝܢܐ seu *Draconis* . Additur in fine ܫܠܡ ܕܢܝܐܝܠ " explicit Daniel ; "

(19) V. *Naironum*, *Euoplia Fidei Cathol.* Romae , 1694. pp. 389, seq.

tuncque intervenit ornatus ille variis coloribus intextus, qui libros distinctos separat: post quem incipit ܟܬܒܐ ܕܛܘܒܢܝܬܐ ܫܘܫܢ *Liber B. Susannae* qui correspondet versioni primo loco positae in Polyglottis.[20]

Post haec veniunt *Proverbia*, (ib.) ܡܬܠܐ ܘܚܟܡܬܐ seu *Sapientia magna*, (fol. 105,) ܩܘܗܠܬܐ seu *Ecclesiastes*,[21] (fol. 108, *v.*) et, nulla addita divisionis nota, *Canticum Canticorum*. (fol. 110, *v.*) Tunc segregationis signo posito, ܦܘܢܩܐ ܕܟܬܒܐ ܕܢܫܐ ܩܕܡܝܬ ܕܪܥܘܬ " Puncta libri *Mulierum*, primo *Ruth*. " (fol. 111, *v.*) Titulus huic similis nullibi alio, quod sciam, inventus hactenus est: complectitur vero libros *Ruth*, *Esther*, et *Judith*. Tandem seriem claudit (fol. 112) *Sapientia Bar-Asiro* seu *Ecclesiasticus*.

Eundem ordinem omnino observat Cod. Barber., nisi quod Ecclesiasticum anteponat libro Mulierum: ita ut *sapientiales* quos dicunt libri una serie legantur.

Omittuntur, ut patet, inter hos, varii libri, quales *Tobiae*, et *Maccabaeorum*, non quidem eo

(20) Animadvertit *Walton*, " Historiam Susannae in exemplaribus Graecis et *Syriacis* ad *initium* Danielis poni. " (T. IV. p. 2.)

(21) Omisit hunc librum *Assemani*, ordinem in nostro Cod. recensens. (Lo. cit. in nota 14.)

quod ab Ecclesia Syriaca rejecti fuerint, contrarium enim de singulis libris Deuterocanonicis ostendere, si e re esset, facile possem; sed fortasse quia voces nullae in ipsis occurrunt quae illustratione egeant: ad hunc enim finem totus iste liber conscriptus est. Et quidem, neque recensentur *Paralipomenon* libri, neque *Nehemias*, neque *Esdras*, qui tamen omnes certe sunt in Canone.

Absoluto Veteri Foedere, statim sequuntur excerpta ex Novo, quod in tres dividitur sectiones. Prima complectitur *Actus* (fol. 118 *v.*) et Epistolas Catholicas, *Jacobi*, (fol. 124) *Petri*, (p. seq.) et *Joannis*. (fol. 125.) Postquam, ad finem hujus, annotatum, fuerit, ut mos in toto Cod. est, absolutam esse, subjungitur alia annotatio his verbis ܫܠܡܬ ܦܪܟܣܝܣ "Explicit *Praxeis*;„ ex qua constat sub *Actuum* titulo comprehendi etiam illas Epistolas.

Sequuntur *Pauli Epistolae* quatuordecim, et post has *quatuor Evangelia*, consueto ordine.

Eandem penitus rationem in *Thomae* Harklensis versione exscribenda sequitur Codex uterque.

Haec de *ordine* dicta sint, nunc ad penitiores notas hujus Recensionis descendamus, quae in N. T. praesertim quaerendae. Hoc igitur peculiare sibi habet Recensio nostra, quod, *textum Simplicis ut plurimum retinens, ab eo in nominibus vocibusque Graecis deflectat, orthographiam potius Harklensem sequens*. Hoc ostendam luculentissimis exemplis.

Sic Actorum I, 13, *Jacobus* scribitur ܐܝܐܩܘܒܘܣ

adjecto in marg. ܫܡܥܘܢ ; *Andreas* ܐܢܕܪܐܐܣ (*Pesc.* ܐܢܕܪܐܘܣ) ; *Matthaeus* , ܡܛܛܐܐܘܣ , in marg. adjecta communi lectione ; *Bartholomaeus* tandem , ܒܪܬܘܠܘܡܐܘܣ , exhibente pariter margine vulgatam legendi rationem . Sic et *Gamaliel* scribitur ܓܡܠܐܐܝܠ , *Theudas* ܬܐܘܕܐܣ , *Tubithae* ܛܒܝܬܐܣ *Herodes* ܐܗܪܘܕܣ .

Alia plurima exempla occurrent in criticis scholiis §. VII reservatis .

Sed ut perfecte dignoscatur discrepantia hujus Recensionis a textu simplici , necesse esset utriusque collationem integram facere . Hoc magni taedii magnique sudoris res est ; quum enim carptim tantum , ut satis vidimus , scribatur , ita ut saepe ex toto Capite *una* tantum vox adducatur , hinc nullo sensus ductu in collatione instituenda dirigimur , absente praesertim omni in commata et capita divisione . Hinc non raro difficile fuit lectiones infra citandas , in textu edito invenire, quo loca unde deprompta sunt notarentur, praesertim in Veteri Testamento . Sed neque taedium neque labor me a tali conatu cohibuisset , nisi vidissem , quod jam in Codicum descriptione et alibi [22] animadverti , maxime copiosam collationem ipsi Codicum margini inscribi , qualis certe sufficiat ad indolem textus dignoscendam ; nimis vero imperfectus

(22) Sup. p. 157.

textus est ad relationem exacte percipiendam quam cum Codd. Graecis habet. Hanc, ad marginem adjectam lectionis varietatem exscripsi, moxque dabo: integram totius textus collationem, curis *criticis* majoris moliminis reservans, quas in Syriacas versiones impensurum me spero, modo DEUS OPT. MAX. valetudinem otiumque concesserit.

Saepius quum eadem vox, diversis in locis, occurrit, additur in margine eadem nota; si *orthographiam* tantum, praesertim vero in punctis respiciat, inutile duxi saepius ipsam repetere; sed hoc tantum in levissimis, de quibus semper moneo lectores. Sit exemplum ex voce ܡܪܟܒܬܐ quae constanter scribitur in textu ܡܪܟܒܬܐ, rejecta ad marginem lectione vulgata, cum signo ܦܫ quod, ut supra monui, Peschito significat.

En igitur lectiones omnes quae in margine ab hac abhorrere dicuntur.

Deut. XXXII, 4. ܥܘܠܐ ܗܘܐ ܘܠܐ m ܥܘܠܐ ܗܘܐ ܘܠܐ ܦܫ

Differunt tantum in puncto sub ܗܘܐ.

Ps. CXIII, 6. ܘܩܘܒܬܐ. m ܘܩܘܒܬܐ ܦܫ, deleta vetustate media vocali, quae forsan ܼ erat: Edd. habent ܿ.

Eccles. II, 6. ܘܩܣܣܬܐ, m. ܘܩܣܣܬܐ ܦܫ.

Eccli. XVIII, 10. ܦܢ̈ܘܪܬܐ m. ܦܢܘܪܬܐ ܩܘ cum puncto *Kuschoi* pro *Rucoi* in ܬ.

Unicae hae sunt lectiones quas ita signatas in V. F. deprehendi, nisi quod ad librum Susannae, in Cod. Barber. notetur ܡܪܓܠܬܐ ut mox monui. In N. T. ordinem librorum in nostris Codd. sequar.

Act. I, 6: ܡܫܢܝܢܐ m. ܡܫܢܝܢܐ ܩܘ.

9. ܡܫܠܚܬܗ m. ܡܫܠܚܬܗ ܩܘ In his duobus exemplis non differt margo a textu.

II, 9. ܦܪ̈ܬܝܐ, (*Parthi*) m. ܦܪ̈ܬܝܐ ܩܘ

VII, 43. ܡܠܟܘܡ, m. ܡܠܟܘܡ ܩܘ.

ib. ܕܪܘܦܢ, m. ܘܪܘܦܢ. (Copula ܘ ad ܩܘ referenda.)

VIII, 27. ܕܩܢܕܩܝ ܐܡܗ, m. ܩ̈ܢܕܩܝ, addito 2a manu ܡܠܟܬܐ. 23

X, 13: ܘܐܟܘܠ m. ܘܐܟܘܠ ܩܘ Edd. cum *tex.* conspirant.

XII, 21. ܒܝܘܡܐ m. ܒܝܘܡ ܩܘ.

---

(23) V. sup. p. 157.

XVIII, 3. ܠܡܟܢܟܘܬܐ m. ܠܡܟܢܟܘܬܐ ܐܘ m. Edd. ut *tex*.

23. ܒܢܟܪ ܒܢܟܪ m. ܒܢܟܪ ܒܢܟܪ ܐܘ Edd. ut *tex*. legunt.

XXII, 25. ܐܘܪܫܠܡܝܘܬܐ m. ܐܘܪܫܠܡܝܐ ܐܘ et ita alibi.

XXIII, 24. ܕܦܘܪܣܝܢ m. ܕܦܘܪܣܝܐ ܐܘ.

Jac. II, 17. ܡܝܘܬܬܐ m. ܡܝܬܐ ܐܘ et ita saepius.

III, 15. ܐܪܥܢܝܬܐ m. ܐܪܥܢܝܬܐ ܐܘ Edd. ut *tex*. legunt.

Rom. VII, 8. idem in textu et margine quod Jac. II, 17.

VIII, 15. ܐܒܐ, m. ܐܒܐ ܐܘ, tuncque subjungitur: ܬܐܘܕܘܣܝܘܣ ܐܡܪ ܡܫܡܠܐ ܗܢܐ ܕܒܦܫܝܛܬܐ ܡܢ ܗܢܐ ܠܛܘܒܢܐ. "*Theodosius* (dicit) magis conforme Graeco esse quod in textu quam ista *Tubono*. „ (Peschito.)

XIV, 8. ܢܚܝܢ, m. ܢܚܝܐ ܐܘ Bis ad eandem vocem in hoc commate eadem nota repetitur. Exemplaria edita habent: ܢܚܝܐ.

I Cor. IX, 14. ܦܘܩܕܢܝ m. ܦܘܩܕܢܝ ܥܠ Libri editi legunt ut *textus*.

X, 10. ܐܒܕܘ. ܠܡܚܒܠܢܐ m. ܐܒܕܘ. ܠܡܚܒܠܢܐ ܥܠ.

XV, 24. ܫܘܠܛܢܐ ܘܟܠ ܡܕܡ m. ܫܘܠܛܢܐ ܘܟܠ ܡܕܡ ܥܠ,

sec. ma. additur ܗܢܐ ܚܬܝܬܐܝܬ, *hoc accuratum*.

Heb. II, 9. ܡܘܬܐ ܕܝܠܗ ܗܘ m. ܡܘܬܐ ܕܝܠܗ ܗܘ ܥܠ,

sec. ma. ܚܬܝܬܐܝܬ. Edd. legunt ut *textus*.

Mat. I, 4. ܥܡܝܢܕܒ m. ܥܡܝܢܕܒ ܥܠ.

IV, 21. ܕܙܒܕܝ m. ܕܙܒܕܝ ܥܠ Edd. habent ut *tex.*

V, 14. ܕܐܬܬܣܝܡܬ m. ܐܬܬܣܝܡܬ ܥܠ.

18. ܝܘܕ m. ܝܘܕ ܥܠ. Edd. habent ut *tex.*

22. ܪܩܐ m. ܪܩܐ ܥܠ.

ib. ܕܢܘܪܐ m. ܕܢܘܪܐ ܥܠ.

VI, 8. ܕܬܫܐܠܘܢܝܗܝ m. ܬܫܐܠܘܢܝܗܝ ܥܠ Edd. sequuntur *tex.*

24. ܡܡܘܢܐ m. ܠܡܡܘܢܐ ܥܠ

ܐܝܟ ܦܫܝܛܬܐ ܡܗܝܡܢܐ. ܐܝܟ ܕܝܢ ܝܘܢܝܐ
ܡܗܝܡܢܘܣ. ܗܢܐ ܕܒܢܘܣܚܐ ܠܐ ܚܬܝܬ.

" *Tubono, momuno. Theodosius* (ait,) juxta Peschito, *momuno* ; juxta Graecum , vero , *mamunas* . Quod in textu non accuratum est . „

Ex hac notâ in qua eadem lectio *Tubono* et *Peschito* tribuitur , constat illam esse vere *simplicem* : quod tamen satis per se patet ex consensu , nisi in tribus quatuorve levissimis , lectionum illius cum editis istius exemplaribus .

IX , 16 . ܬܬܠܘܢ m. ܬܬܠܘܢ ܛܒ .

17 . ܙܩܐ̈ m. ܙܩܘܬܐ ܛܒ .

23 . ܙܡܪܐ m. ܙܡܪܐ ܛܒ Edd. legunt ut *tex.*

31 . ܐܫܬܥܝܘܗܝ m. ܐܫܬܥܝܘܗܝ ܛܒ .

X , 2 . ܐܚܘܗܝ m. ܐܚܘܗܝ ܛܒ Edd. legunt ut *tex.*

29 . ܒܐܣܪܝܢ m. ܒܐܣܪ ܛܒ (Eadem nota ad Luc. XII , 6 , repetitur .)

Marc. I , 2 . ܕܢܛܪܘܢ m. ܕܢܛܪܘܢ ܛܒ .

XIV , 3 . ܕܢܪܕܝܢ m. ܕܢܪܕܝܢ ܬܘܒ ܕܢܪܕܝܢ ܛܒ

XIV , 15 . ܡܫܘܝܐ m. ܡܫܘܝܐ ܛܒ Edd. ut *tex.*

Luc. VII , 11 . ܢܐܝܢ m. ܢܐܝܢ ܛܒ Edd. legunt ut *tex.*

XXIV, 13. ܩܛܓܪܘܗܝ m. ܩܛܐܓܪܘܗܝ ܦܫ

Edd. ܩܛܓܪܘܗܝ.

Jo. IV, 5. ܣܘܟܪ m. ܫܟܪ ܦܫ

VI, 43. ܛܝܒܪܝܘܣ m. ܛܝܒܪܝܘܣ ܦܫ

XIX, 29. ܗܣܘܦܐ m. ܐܗܣܘܦܐ ܦܫ

Ex hac collatione constat ܦܫ seu, prout in mox allato scholio plene exprimitur, ܦܫܝܛܐ, aliud non esse nisi Peschito. Constat pariter in omnibus pene hisce locis, varietatem notari, ex vocibus Graeco-Syriacis accuratius scribendis ortam. Habet tamen Vaticanus Codex alias lectiones notatas in margine, quin tamen versionem unde desumantur designet, habet et Barberinus sed manu longe minus prodiga hinc inde sparsas: ut de utroque Cod. in descriptione jam monui. Has igitur omnes hic in unum collectas dabo, adjiciens semper quamnam lectionem habeat editus Peschito textus, Polyglottis pro Veteri, Widmanstadiana editione pro Novo Foedere utens illis in libris quos continet, in aliis Londinensi anni 1819 editione.

Exod. II, 2. ܘܛܫܝܬܗ m. ܘܐܛܫܝܬܗ ܡܫܝ

Pes. ܘܛܫܝܬܗ

ܘܡܛܠ ܨܒܥܗ m. ܨܒܥܗ ܕܐܠܗܐ . VIII, 19.
ܨܒܥܗ Pes. ܗܘ

ܘܣܝܡܘܗܝ ܩܕܡ ܡܪܝܐ . XVI, 33.
ܘܣܝܡܘܗܝ . Pes. ܡܛܠ ܘܣܝܡܘܗܝ ܩܕܡ ܘܡܪܐ m.

ܘܡܛܠ ܘܦܪܚܬܐ ܗܘ m. ܘܦܪܚܬܐ ܠܡܗܠܟ . Lev. XI, 20.
ܠܡܗܠܟ Pes. ut tex.

ܘܡܛܠ ܕܦܪܫܝܢ m. ܕܡܦܪܫܝܢ . XXII, 15.
Pes. ܕܡܦܪܫܝܢ

ܡܛܠ ܕܡܚܫܟܢ ܥܝܢܐ m. ܘܥܘܝܪܐ ܕܡܚܫܟܢ ܥܝܢܐ . XXVI, 16.
(*excoecans* seu *obscurans* .) *Pes.* ut *tex.*

ܡܛܠ ܘܠܐ ܢܬܚܙܐ m. ܘܠܐ ܢܬܚܙܘܢ . 22.
Pes. ut *tex.*

ܡܛܠ ܐܡܝܢ ܐܡܝܢ m. ܐܡܝܢ . Num. V, 22.
Pes. ut *marg.*

ܡܛܠ ܕܢܕܪ m. ܕܢܕܪ . VI, 21. *Pes.* ut *marg.*

ܡܛܠ ܩܛܠܘ m. ܩܛܠܘ . XXXI, 8. *Pes.* ut *tex.*

ܡܛܠ ܕܦܠܓܘ m. ܘܦܠܓܘ . 27. *Pes.*
ut *tex.*

Deut. XIII, 9. ܒܚܣܝܢܘܬܐ m. ܡܢܗ ܒܚܝܪܘܬܐ.
Pes. ut *tex.*

17. ܘܢܬܠ ܠܟ ܪ̈ܚܡܐ m. ܡܢܗ ܘܢܬܠܟ

ܠܪ̈ܚܡܐ. *Pes.* ut *tex.*

Jud. VI, 27. ܕܕܚܠ m. ܡܢܗ ܘܕܚܠ *Pes.* ut *marg.*

Job, VII, 14. ܡܪܗܒܬܢܝ m. ܡܢܗ ܐܒܥܬܢܝ *Pes.* ut *marg.*

XIX, 4. ܘܠܝ ܐܢܐ ܛܥܝܬ m. ܡܢܗ ܫܪܝܪܐܝܬ. (Nota ad marg. referens supra ܐܢܐ ponitur, unde post illam vocem inserendum.) *Pes.* insertum habet ut *margo*.

21. ܡܛܠ ܕܐܝܕܗ ܗܘ m. ܡܢܗ ܡܛܠ

ܕܐܝܕܗ ܗܘ *Pes.* ut *tex.*

XXIV, 18. ܠܠܛܐ ܐܘܪܚܬܗܘܢ m. ܡܢܗ

ܡܢܬܗܘܢ *Pes.* ut *marg.*

XXXVI, 27. ܢܛܘܦܝ ܡܛܪܐ m. ܡܢܗ ܛܘܦܝ

ܡܛܪܐ *Pes.* ut *tex.*

XLI, 7. ܘܠܐ ܡܬܦܬܚܝܢ m. ܡܢܗ ܡܬܦܪܫܝܢ
Pes. ut *marg.*

I Sam. II, 33. ܠܐ ܐܘܒܕ ܠܟ m. ܡܢܟ ܠܐ ܢܘܒܕ
Pes. ut *tex.*

III, 1. ܝܩܝܪ ܗܘܐ m. ܡܢܗ ܡܝܩܪ. *Pes.* ut *marg.*

XVI, 16. ܕܗܘܬܐ m. ܡܢܗ ܕܗܘܐ *Pes.* ut *tex.*

XX, 3. ܕܝܕܥ ܐܒܘܟ m. ܡܢܗ ܕܝܕܥ ܐܒܘܟ
Pes. ut *marg.*

II Sam. II, 26. ܒܡܪܝܪܘܬܐ m. ܡܢܗ ܒܡܪܝܪܬܐ *Pes.* ut *tex.*

XII, 25. ܕܡܪܝܐ ܝܕܝܕܝܗ m. ܝܕܝܕܗ *Pes.* ut *tex.* Forsan correctio potius quam varietas est.

XIV, 15. ܢܦܪܘܩܝܗ. m. ܡܢܗ ܢܦܪܘܩ *Pes.* ut *marg.*

27. ܐܘ ܗܘ ܗܘܐ ܐܢܬ ܚܙܝܐ m.
ܡܢܗ ܐܘ ܗܘ ܐܢܬ ܚܙܝܐ ܗܘܐ *Pes.* ut *tex.*

Ps. VII, 9. ܒܬܡܝܡܘܬܐ ܕܠܝ ܘܬܡܝܡܘܬܐ m. ܡܢܗ ܒܟܘܢ
(pro ܠܝ) *Pes.* ut *tex.*

X, 15. ܘܒܝܫܐ ܠܬܬܒܥ ܚܛܝܬܗ ܘܠܐ ܬܫܬܟܚ
m. ܡܢܗ ܘܒܝܫܐ ܠܬܬܒܥ ܚܛܝܬܗ
ܘܠܐ ܬܫܬܟܚ. *Pes.* ut *tex.*

XX, 1. ܕܐܠܗܗ ܕܝܥܩܘܒ m. ܡܢܗ ܕܐܠܗܗ
Pes. ut *marg.*

XXI, 4. ܕܬܫܒܘܚܬܗܘܢ m. ܕܬܫܒܘܚܬܗܘܢ
Pes. ut *tex.* Fortasse ut nonnulla alia est potius correctio .

XXII, 24. ܐܘܩܪܘܗ m. ܐܘܩܪܘܗܝ

Pes. ܐܘܩܪܘܗܝ .

LVII, 1. ܫܬܘܕܝܢ m. ܡܛܠ ܐܠܬܫܚܬ
Pes. ut *marg.*

LXXVI, 4. ܬܡܢ ܬܒܪ ܩܪܢܬܐ ܘܩܫܬܐ ܡܢ ܦܘܠܝܢ

m. ܡܢ ܘܩܫܬܐ . *Pes.* ut *tex.*

XCVIII, 5. ܒܟܢܪܐ m. ܡܛܠ ܒܟܢܪܐ
Pes. ut *tex.*

CXXXVI, 1. ܛܒܢ m. ܘܡܛܠ ܛܝܒܢ
Pes. ut *tex.*

I Reg. VI, 37. ܐܫܬܬܣܬ m. ܡܛܠ ܐܫܬܬܣܬ

Pes. ܐܫܬܬܣܬ

II Reg. III, 4. ܕܥܡܪܐ ܕܟܪܐ m. ܡܛܠ ܕܟܠܠ
Pes. ut *tex.*

VIII, 21. ܡܫܡܫܢ m. ܡܛܠ ܕܡܫܡܫܢ

Pes. ܕܡܫܡܫܢ

XIX, 12. ܘܣܬܪܒܘ m. ܡܢܗ ܕܐܣܬܪܒܘ
Pes. ut *tex.*

Esaj. XIX, 19. ܠܬܚܘܡܗ m. ܡܢ ܠܬܚܘܡܗ
Pes. ut *tex.*

XXIV, 16. ܘܝ ܠܝ ܠܒܝ m. ܐܡܪܐ ܐܘܝ
Pes. ut *tex,*

XXVI, 18. ܟܐܒܢ m. ܡܢ ܕܟܐܒܢ *Pes.* ܟܐܒܢ

Amos VII, 7. ܐܕܡܘܣ m. (sec. ma.)
ܚܝܪ ܐܕܡܘܣ ܗܘ ܟܐܦܐ ܚܣܝܢܬܐ ܗܘܝ ܘܡܬܬܩܢܐ
ܗܘܝ ܕܒܣܝܡ ܡܫܘܚܬܐ. " In Exempp.
Adamas, sic etiam in N. T. At in Veteri idem quod in textu. ,, *Pes.* ut *tex.* sed hoc scholio confirmatur quod ad vocem habet *Castell.*

IX, 6. ܘܐܣܪܗ... ܐܬܪܐ m. ܘܐܣܪܗ... ܐܬܪܐ ܘܡܢ
Pes. ut *tex.*

Zach. II, 6. ܐܘ ܐܘ m. ܐܘ ܐܘ ܐܚܝܢ *Pes.* ut *tex.*

Jer. XLIX, 4. ܐܢܬܝ ܡܬܒܩܬܐ ܡܫܬܒܚܐ m.
ܡܢ ܡܬܒܩܬܐ *Pes.* ut *marg.*

ib. ܐܢܬܝ ܘܬܟܠܬܐ m. ܘܬܟܠܬܝ *Pes.* ut *marg.*

Ezec. XVII, 16. ܕܐܘܡܬܗ m. ܡܢ ܕܐܘܡܬܗ
Pes. ut *marg.*

Prov. XXVI, 2. ܘܐܝܟ ܨܦܪܐ ܕܦܪܚܝܢ m.
ܕܦܪܚܝܢ ܡܢ Pes. ut tex.

Eccles. II, 7. ܥܒܕܐ m. ܡܢ ܥܒܕܝܢ Pes. ut tex.

20. ܠܡܦܣܩܘ ܠܒܝ m. ܡܢ ܕܐܦܣܩ
ܠܒܝ Pes. ut tex.

IV, 1. ܘܟܠܗ ܕܗܘܘ ܡܥܫܩܢܐ m. ܡܢ ܡܥܫܩܢܐ
Pes. ut marg.

Cant. IV, 3. ܐܝܟ ܙܚܘܪܐ m. ܡܢ ܙܚܘܪܐ Pes. ut tex.

V, 8. ܕܪܚܝܡܘܬ ܕܚܘܒܐ ܐܢܐ m. ܡܢ ܕܟܠܝܠܬ
ܒܪܚܡܬܐ ܐܢܐ Pes. ut tex.

Eccli. XIV, 23. ܒܬܘܢ m. ܡܢ ܒܬܐ Pes. ut tex.

XXVI, 12. ܠܟܠܗܘܢ ܒܚܪܡܫܘܬܐ m. ܡܢ
ܒܡܪܡܫܘܬܐ ܠܟܠܗܘܢ Pes. ut marg.

L, 1. ܘܐܬܬܩܦ ܗܝܟܠܐ m. ܘܐܬܬܩܢ ܗܝܟܠܐ Pes.
ut tex.

Act. II, 7. ܓܠܝܠܝܐ m. ܡܢ ܓܠܝܠܝܐ Pes. ut tex.

XIX, 39. ܢܡܘܣܝܬܐ m. ܡܢ ܢܡܘܣܝܬܐ Pes. ut tex.

XXI, 33. ܘܕܐܣܛܪܛܝܓܐ ܗܘ m. ܡܢܗ ܕܐܣܛܪܛܝܓܘܣ
Pes. ut *tex.*

XXIII, 10. ܢܦܣܩܘܢܗ ܕܠܡܐ m. ܡܢܗ
ܕܢܦܣܩܘܢܗ *Pes.* ut *tex.*

11. ܠܪܗܘܡܝ m. ܠܪܗܘܡܝ *Pes.* ut *tex.*

24. ܠܦܝܠܝܟܤ ܕܢܩܪܒܘܢܝ m. ܡܢܗ
ܕܢܩܪܒܘܢܝܗܝ. *Pes.* ut *tex.* nisi quod Pauli nomen in Karkaph. ad orthographiam Harklensem reformatum sit, quod de nominibus Graecis jam supra monui.

XXV, 7. ܘܗܘܘ ܡܫܟܚܝܢ ܠܡܚܘܝܘ m. ܘܡܢܗ ܕܐܢܫ ܠܐ ܫܠܝܛ
ܡܐܡܪܐ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܐܘܓܘܣܛܘܣ ܒܝܕ ܕܗܘ ܗܘܐ ܚܒܝܫܐ
ܐܦܣܩܠܝܛܐ ܐܡܪ ܘܡܪ Constat, ut supra innui,[24] errorem esse in textu qui a marginali lectione non abhorret; quod etiam deprehenditur ex Cod. Barb. qui in textu habet ܕܡܫܬܟܚܝܢ tuncque *Pes.* ut *tex.* legit.

I. Pet. III, 21. ܡܫܡܠܝܐ m. ܡܢܗ ܫܠܡܐ *Pes.* ut *tex.*

I. Jo. I, 1. ܡܢ ܫܘܪܝܐ m. ܡܢܗ ܡܢ ܫܘܪܝܐ *Pes.* ut *tex.*

(24) P. 201, ubi Cod. Barb. descripsi, et scholium integrum dedi.

I. Cor. XIII, 12. ܒܦ̈ܠܐܬܐ m. ܡܬܚܙܝܢ ܒܦܠܐܬܐ
Pes. ut *tex.*

XIV, 31. ܢܬܒ̈ܝܐܐ m. ܡܫܬܟܚܝܢ ܢܬܒܝܐܐ
Pes. ut *tex.* nisi quod omittat unum ܐ. Ex hisce duobus locis significationem ܡܚܕ compertam habemus.

XV, 17. ܟܠ̈ܗܘܢ ܗܘܐ m. ܡܫܟܚ ܟܠ̈ܗܘܢ ܗܘܐ
Pes. ut *mar.*

41. ܒܫܘ̈ܒܚܐ m. ܡܝܬܪ ܒܫܘܒܚܐ
(v. 46.) ܢܦܫܢܐ *Pes.* ut *tex.*

II. Tim. II, 19. ܠܐܝܠܝܢ ܕܕܝܠܗ ܐܢܘܢ m. ܡܢ ܐܝܢ
Pes. ut *tex.*

Heb. X, 25. ܕܩܪܒ m. ܡܚܕ ܕܩܪܒ addito, posteriori manu, ܗܘܐ ܡܠܠܐ *Pes.* ut *marg.*

XI, 4. ܡܡܠܠ ܗܘ ܡܡܠܠ m. ܡܚܕ ܗܘ ܡܡܠܠ
ܡܡܠܠ *Pes.* ut *tex.*

17. ܘܠܝܚܝܕܗ m. ܘܡܚܕ ܘܠܝܚܝܕܝܗ
Pes. ut *tex.*

Mat. XXI, 2. ܕܥܐܠܝܬܘܢ m. ܡܚܕ
ܕܥܠܬܘܢ *Pes.* ut *marg.* quae sola lectio conformis est grammaticorum placitis.

Mar. XV, 37. ܘܫܠܡ m. ܢܦܩܬ ܢܫܡܬܗ. ܒܣܘܪܝܝܐ ܕܝܢ ܐܦ ܗܟܢܐ ܡܫܬܟܚ ܘܐܫܠܡ ܪܘܚܗ " Hark. *exiit halitus ejus* : in Syriaco autem etiam invenitur et reddidit spiritum.„ *Pes.* ܘܫܠܡ : forsan punctum in Cod. Vat. male ab amanuense supra ܫ positum est.

XXVIII, 47. ܐܪܙܐ m. ܡܢ ܐܪܙܐ *Pes.* ut *marg.*

Luc. VIII, 4. ܟܠܗܝܢ m. ܡܢ ܟܠܗܝܢ *Pes.* ut *marg.*

IX, 38. ܐܬܦܢܝ ܠܘܬܝ m. ܡܢ ܐܬܦܢܝ *Pes.* ut *tex.*

X, 41. ܝܨܦܬܝ m. ܝܨܦܬܝ *Pes.* ut *marg.* cujus lectio potius emendatio textus est, neque enim praefigitur ܡܢ.

XI, 7. ܘܗܘ ܡܢ ܓܘܐ m. ܘܗܘ ܡܢ *Pes.* ut *marg.*

ib. ܒܥܪܣܝ m. ܡܢ ܒܥܪܣܝ *Pes.* ut *tex.*

XII, 48. ܡܢܗ ܢܬܒܥܘܢ ܡܢܗ m. ܡܢ ܢܬܒܥܘܢ ܡܢܗ *Pes.* ut *marg.*

ܟܡܐ ܘܐܬܒܥܝܬܘܢ m. ܘܬܒܥܘܢ . XXIII, 46

Pes. ܘܬܒܥܘܢ.

ܚܢܢ ܓܝܪ ܗܝܡܢܢ m. ܗܝܡܢܢ ܘܝܕܥܢ . Jo. IV, 42

ܘܗܝܡܢܢ ܘܝܕܥܢ Singularis satis lectio; constat enim, *plures* codices *credendi* notionem habuisse, ubi Graecus textus *audivimus* (ἀκηκόαμεν) exprimit; *Pes.* vero Graecum sequens ܫܡܥܢ habet.

Collatio ista marginalis quam integram transcripsi, non parvi momenti est ad indolem textus Karkaphensis determinandam. Namque videmus ipsum cum variis Codd. fuisse collatum; in omnibus vero locis, perpaucis exceptis iisque puncta vix excedentibus, consentire textui edito. Hinc statuere possumus textum Karkaphensem in nostris Codd. existentem arctiorem habere cognationem cum hodierna Peschito quam habebant Codd. alii, sive pariter Karkaphenses fuerint, sive Simplices, quibuscum saeculo ad minus decimo collatus fuit.

Ex hactenus dictis, satis, credo, securum judicium, de indole hujus Recensionis possumus ferre.

1. Textus fundamentalis hujus recensionis est *simplex*, et quidem arctissimam habens cum edito textu cognationem;

2. Peculiarem habet librorum divisionem et ordinem tam in V. quam in N. Foedere, in quo ordine consentit cum Philoxeniana seu Harklensi in eodem Tomo edita.

3. Differt pariter a Peschito, non solum in nonnullis locis, a *Barhebraeo* adductis, in quibus tamen ipsa differunt inter se exemplaria, et in levioribus paucis, sed praesertim in hoc, quod nomina propria et voces Graeco-Syriacas ad orthographiam Graecam seu Harklensem accommodaverit: hocque, quod ex collatione supra exhibita constat, peculiarem hujus recensionis indolem puto constituere.

4. Tandem, Recensio non ad Nestorianorum usus efficta fuit, sed clare *Monophysiticam* seu *Jacobiticam* originem prodit.

Ex quibus extremis capitibus originem hujus recensionis conjicere tuto forsan licet. Certum enim Jacobitas levius de versione Peschito sensisse veluti nimis a textu originali abscedente, [25] ideoque versionem Philoxenianam saepe adhibuisse, quae incessu plane servili Graeci textus vestigiis inhaeret. Quum igitur ipsorum aures nominibus ad Graecos sonos redactis assuetae quodammodo fuerint, hinc videtur nescio quis similem mutationem in textu simplici excogitasse et perfecisse: nisi potius, ut infra dicam hoc gradatim et tacite effectum est.

Sed haec dicta sufficiant de indole hujus recensionis, restat ut nonnulla levioris momenti breviter, ut possumus, absolvamus.

(25) Vide locum ex prooemio *Barhebraei* allatum, in priori commentatione p. 87.

§. VI.

De Auctore hujus Recensionis, prout in nostris Codd. invenitur. De origine nominis Karkaphensis.

Inutilis certe disputatio esset de primo hujus Recensionis auctore anquirere; nihil enim vel a *Barhebraeo*, vel ab *Assemano*, vel tandem a Codicibus quos nacti sumus adductum est, ex quo levissimum quid conjicere liceat.

Sed videre operae pretium est, quisnam excerpta haec collegerit ex ista recensione, punctisque vocalibus ornaverit, prout in nostris Codd. reperiuntur. Opus hoc studio et curis *Jacobi Edesseni* deberi semper dicit Cl. *Assemani*,[1] et, ipsius auctoritate ductus, *Eichhornius*.[2] Sed animadvertendum, in toto libro *Jacobum* nullibi nominari tanquam operae istius auctorem; unde tantum per conjecturam quandam, etsi spero felicem, nobis agendum est. Sed neque *Assemani*, credo, *Jacobo* opus tribuisset, si *Jacobiticam* ipsius originem perspectam habuisset.[3]

Jacobum fuisse auctorem sequentia momenta *Assemano* suaserunt. Post punctationem Karkaphensis recensionis et Philoxenianae versionis, subse-

(1) *Biblioth. Orient.* T. II. p. 499. et T. III. P. I. p. 4. nota 5. et p. 10. nota.

(2) *Einleitung* etc. T. I. p. 478.

(3) Acriter enim et docte *Iacobum* hujus sectae errorum accusatum vindicat *Assemani*. (*Bib. Or.* T. I. pp. 470. seqq.)

quuntur similia excerpta ex Homiliis *Severi* Antiocheni quas ex Graeco sermone transtulit certe *Jacobus* Edessenus. [4] Has excipit, " *Ejusdem Jacobi Edesseni* Epistola ad *Georgium* Ep. Sarugensem, et ad omnes in quorum manus hic liber devenerit, ubi rationem suscepti hujus operis exponit. ,, Ita *Assemani*, nec male Epistolae titulum et scopum exposuit; sed in hoc minus est accuratus quod, addita vocula *ejusdem*, neque quidnam fuerit *susceptum opus* inquirens, clare ostendat se putare epistolam etiam versiones Biblicas respicere. Quod si, e contra, Epistola *solas lectiones ex Patribus* respiciat, quae tertio loco in Cod. Vat. ponuntur, oppido constabit, fundamentum nullum existere pro illa quamvis Doctissimi viri sententia. Ita vero se rem habere breviter ostendam.

Sic igitur *Jacobus* paulo post initium: ܡܦܩܕ ܐܢܐ ܠܗܘܢ ܠܟܠܗܘܢ ܐܝܠܝܢ ܕܟܬܒܝܢ ܟܬܒܐ ܗܠܝܢ ܕܦܫܩܬ ܘܣܝܡܬ ܗܘܝܬ. " Praecipio illis omnibus qui scribunt *libros istos quos transtuli et composui*, etc. ,, [5] Haec verba certe nec Peschito nec Harklensem versionem respiciunt.

Iterum: ܠܐ ܢܫܒܒܘܢ ܠܡܫܪܗܘ ܠܟܠܟܬܒܝܢ ܕܐܝܟ ܒܦܘܠܚܢܐ ܕܗܠܝܢ ܡܬܐܡܪܝܢ. ܗܘ ܐܘ ܐܝܟ ܕܦܩܕ ܒܦܘܠܚܢܐ.

(4) Ib. p. 478.
(5) Cod. Vat. fol. 186.

" Ne confundant (amanuenses) cum illo *in saecula* quod est in fine *harum homiliarum*, illud *amen* quod ponitur in fine . ,, [6] Tandem : ܠܚܘܒܐ ܕܝܢ ܐܚܝܢܝܐ ܘܡܠܟ ܫܘܡܠܝܐ ܗܘ ܕܒ ܡܦܝܣ ܐܢܐ ܐܡܪ ܐܢܐ. ܠܟܬܒܢܝܬܐ ܗܘ ܕܠܘܬ ܩܕܝܫܘܬܟ ܦܩܘܕ ܠܟܬܘܒܐ ܢܟܬܒܘܢ ܠܗ ܩܕܡ ܦܠܓܗ ܗܘ ܕܟܬܒܐ ܕܡܐܡܪ̈ܐ ܗܢܐ ܕܡܐܡܪ̈ܐ ܐܦܝܬܪܘܢܝܩܐ. " Fraternitati tuae religiosae, enixe rogans, dico; jube amanuensibus, ut scribant libellum sanctitati tuae (missum) ante medium tomum *hujus libri Homiliarum Epithronicarum* ; ,, [7] scilicet ipsarum homiliarum quae post versiones in Codice Vat. tertiam sedem occupant, quaeque expresse Epithronicae ibi nuncupantur .. Equidem in Cod. Barberino Epistola *praemittitur* lectionibus ex Patribus Graecis ; et , quod rem prorsus conficit , eadem Epistola pariter praemittitur eidem versioni Homiliarum in alio Vaticano Cod. exstanti . [8]

Haec omnia ostendunt nullum haberi argumentum , quo punctatio et editio ista *Jacobo* Edesseno tanquam auctori possit vindicari ; sed nonne saltem , ex eo

(6) Fol. 187.

(7) Fol. 189.

(8) *Biblioth. Orient.* T. I. p. 478, nam ostendi supra (p. 185.) *Epistolam* illam *de Orthographia* etc. hanc eandem ad *Georgium Sarugensem* esse , quamvis ab *Assemano* ut diversa ponatur .

quod juncta ponatur aliis ipsius operibus, et quidem ejus libellis *de nominibus in utroque Testamento*, et de hujusmodi aliis, nonne, inquam, ex hoc suspicari saltem licet recensionem quam tractamus ipsius pariter foetum esse? Fateor non parvi momenti dubium hoc videri, et quidem talem verisimilitudinem attingere, ut, tanquam probabiliorem saltem conjecturam, sententiam amplecterer affirmantem, nisi me graviora quaedam momenta deterrerent.

Haec igitur habet in laudata Epistola *Jacobus*: ܠܐ ܢܟܬܒܘܢ ܫܠܝܡܘܢ ܐܝܟ ܥܝܕܗܘܢ. ܚܠܦ ܫܘܠܡܘܢ ܕܝܠܝ ܀ ܝܕܥ ܓܝܪ ܐܢܐ ܡܢܐ ܕܟܬܒܬ. ܠܐ ܒܪܫܝܬ ܕܠܐ ܝܘܕ ܚܠܦ ܗܘ ܕܝܠܝ ܒܪܝܫܝܬ ܗܘ ܕܣܡܬ ܀ " Ne scribant *Schlemun*, juxta morem, pro *Scholomon* meo; scio enim quid scripserim: neque *broschith* absque *jud*, pro illo *brischith* quod posui. ,, [9] Porro ad *Proverbiorum* initium in Cod. nostro scribitur primum nomen ܫܠܝܡܘܢ, [10] in Mat. vero, I, 6, ܫܠܝܡܘܢ; [11] utrobique contra *Jacobi* praescriptum. Ita et aliud, tam initio Geneseos quam Evangelii S. Joannis, scribitur ܒܪܫܝܬ eo videlicet modo quem fugiendum *Jacobus*

(9) Cod. Vat. fol. 185.
(10) Ib. fol. 161.
(11) Ib. fol. 159, *verso*.

monet. Et quidem in secundo isto loco, adjungitur in margine prima manu, ܡܪܝ ܝܥܩܘܒ ܕܐܘܪܗܝ ܐܡܪ ܒܪܝܫܝܬ " S. *Jacobus* Edessenus dicit *brischith*. „ Ex his ergo momentis nonne concludere licebit, non *Jacobo* Edesseno deberi recensionem et punctationem hujus libri, sed alii cuidam, qui curas, homiliis quas verterat a *Jacobo* impensas, etiam ad versiones biblicas voluerit extendere. Fateor quidem in nonnullis consentire orthographiam Codicis cum illa a *Jacobo* praescripta, sed *consensus* inter *duos* scriptores in orthographia facilis, *pugnantia* vero in *uno eodemque* non adeo leviter admittenda.

Attamen si de auctore isto aliquid hariolari me deceat, dicam equidem non improbabiliter primum qui excerpta haec exscripserit, prout in Codicibus nostris habentur, fuisse ipsum Vaticani Codicis amanuensem *Davidem* Monachum. Namque in prima Epigrapha supra relata verbis iis utitur quae vix mero scribae conveniant. [12] Dicit enim se *collegisse* et *composuisse*, (verbo ܣܡ utens,) utrumque Testamentum, et opus hoc non sine magno *sudore* et *labore* perfecisse. [13] Haec vero omnia con-

(12) Sup. p. 168.

(13) Verbum ܣܡ de librorum *auctoribus* poni, non vero de *amanuensibus*, jam ostendit *J. D. Michaelis*, (*ad Cast.* p. 584.) cujus exemplis alia adjungere possem. Suboriri poterit dubitatio, an qui *excerpta talia disposuit*, negotium *sudore* et *labore* plenum

jecturam saltem non improbabilem suppeditant, ipsum vere hanc collectionem punctorum et lectionum recensionis Karkaphensis extraxisse et primum omnium in medium protulisse.

De nomine *Karkaphensis* paucula adjungam. Nonnullorum sententia est, ipsum derivare a ܩܪܩܦ Arabice قرقب Mesopotamiae urbe; [14] alii a Syris montanis desumere malunt. *Assemanorum* sententia singularis est. [15] Putant nimirum *montanae* nomine designari versionem qua utuntur Jacobitae et Maronitae: haec autem alia non est quam *Simplex*. Attamen sententia ista nemini puto posse arridere qui noverit *Barhebraeum* semper citare Karkaphenses lectiones tanquam *discrepantes* a Peschito. Constat pariter ex jam dictis nulla ratione Maronitarum exemplaria concordare cum hac recensione.

At quum probabile ostenderim excerpta haec inter se consuisse *Davidem*, probabile non minus est, ipsum ad eorum Codicum punctationem et recensionem laborem suscepisse, qui suorum manibus terebantur. Porro iste legitur in Sancti *Aaronis* coenobio huic muneri incubuisse, quod quidem situm est in prae-

---

absolvisse dici valeat. At nec hujus loquendi modi desunt exempla inter Syros. Ita igitur *Mar Abbas* dicit *in ordinem redactos fuisse* (ܐܬܛܟܣܘ) Canones ܒܠܐܘܬܐ ܘܥܡܠܐ ܣܓܝܐܐ *magno sudore et labore*, (*Bib. Or.* T. III. P. I. p. 77. *summa*,) ipsis *Davidis* verbis utens.

(14) *Andreas Müller*; *Dissertatt. duae*, etc. Diss. 2. p. 40. *Adler*, *N. T. versiones* etc. p. 34.

(15) *Biblioth. Ap. Vat. Catal.* P. I. T. I. p. 287.

cipuo fere Mesopotamiae *monte*, Sigara, ut supra Epigraphas referens plene demonstravi. Ex his omnibus inter se collatis, deducerem, Karkaphensem seu *montanam* recensionem eam esse quae in montano Sigarensi territorio a Jacobitis adhibetur.

§. VII.

Spicilegium criticum et philologicum ex margine Codicis Karkaphensis.

Ut accurata magis idea haberi possit recensionis nostrae, et Codicum qui ipsam continent, non ingratum fore putavi si scholia caetera hic subjunxero quae editionem vere criticae nomen merentem, exornant et illustrant. Accipe igitur, primum, lectiones LXXvirales per Cod. sparsas.

Gen. XXIV, 46. ܘܐܫܩܝܬ ܐܦ ܠܓܡ̈ܠܝܟ

ܦܝ ܘܐܫܩܝܬ ܐܦ ܠܓܡ̈ܠܝܟ ܐܫܩܝܬ m. ܐܫܩܝ̈ܬ

Ib. XXXVIII, 6. ܬܡܪ ܘܫܡܗ̇ m. ܦܝ ܠܗܘܢ

ܕܫܡܗ̇ ܫܘܥ Sed ubinam gentium talis lectio invenitur? *Sua* enim et *Thamar* clarissime collato, secundo ejusdem Capitis commate, invicem distinguuntur. Glossema certe est; sed quaerant qui Codd. Syro-Hexaplares Ambrosianos et Parisienses evolvere possunt: ܦܝ significare LXX Intt. evidenter mox patebit.

XLVIII, 11. ܒܫܠܘܐ ܘܐܦܢ ܠܐ ܡܫܟܚܬ m. ܘܦ

ܗܘܐ ܡܢ ܦܘܪܫܐ ܕܡܠܬ ܠܐ ܐܬܚܒܠܬ. pene deletum.

Job XXI, 33. ܟܠܟܠܡܝܢ ܠܗ ܦܘܣܦܣ ܢܫܠܐ

m. ܘܦ ܘܥܠܡܢܗ ܒܡܩܒܪܬܐ ܕܡܩܒܪܐ ܕܡܠܟܗ

Hoc potius scholium est quam lectio, quamvis fortasse alicui Codici irrepere potuerit.

XXXI, 20, 22.... ܘܡܢ ܓܒܐ ܕܟܬܦܝ ܐܬܦܫܩܘ

ܟܬܦܝ ܡܢ ܓܙܪܗ ܬܦܠ ܘܕܪܥܝ ܡܢ ܩܢܝܗ ܢܬܬܒܪ.

m. ܘܦ ܡܢ ܓܒܐ ܕܡ ܕܟܬܦܐ ܕܡܠܟ ܐܬܦܫܩܘ. ܚܪܐ

ܕܡܠܟܘܢ........ ܬܬܦܫܩ ܐܘ ܟܬܦܐ ܕܡܠܟ ܡܢ ܩܠܝܐ

ܕܡܠܟܗ ܘܕܪܥܐ ܕܡܠܟ ܡܢ ܐܩܘܗ ܢܬܬܒܪ.

Ps. XXVI, 6. ܘܐܬܟܪܟ m. ܘܦ ܘܐܬܟܪܟܬ Jam de lectione textuali, quae una est ex characteristicis nostrae recensionis, plene saepius disserui.

XL, 6. ܐܕܢܐ ܕܝܢ ܢܩܒܬ ܠܝ m. ܘܦ ܦܓܪܐ

ܕܝܢ ܛܝܒܬ ܠܝ Nota haec pariter habetur in Cod. Barber. ex quo jam monui, excerptam fuisse a *Brunsio*.

XLV, 14. ܒܡܫܟܠܝܢ m. ܘܒܡܚܠܝܢ ܒܡܟܠܠܬܐ

ܒܠܒܘܫܝܗܘܢ ܕܗܘܝ ܐܝܟܢܐ ܐܝܟ " In LXX, omnia in

*

Psalmis „ (quos librum *Davidis* tam in hoc quam in aliis Codd. dicunt Syri) " diversa sunt ; „ sic generali annotatione discrepantiam monet , quae inter Peschito seu Hebraicum textum , et Graecam versionem in Psalmis intercedit .

XCI, 6. ܕܫܐܕܐ ܒܛܗܪܐ m. ܕܡܢ ܕܫܐܕܐ ܒܛܗܪܐ.

CXXXII, 18. ܘܥܠܘܗܝ ܢܒܒܥ ܩܘܕܫܗ

m. ܕܡܢ ܘܥܠܘܗܝ ܢܘܒܒ ܡܩܕܫܬܐ ܕܒܠܟ Sed notandum ipsum textum unum ex iis locis esse in quibus Peschito ab Hebraica veritate declinat ad Graecum interpretem sectandum . Textus enim Hebraicus habet נזרו ubi in Syriaco legitur ܩܘܕܫܗ .

I. Reg. XVII, 3. ܟܪܝܬ m. ܕܡܢ ܟܪܘܬ

Malac. IV, 2. ܘܐܣܝܘܬܐ ¹ \\\ ܒܟܢܦܝܗ m. ܕܡܢ

ܘܐܣܝܘܬܐ ܒܟܢ̈ܦܐ ܕܡܠܗ Tam in textu quam in marg. pronomen foemininum ponitur . LXX αυτϐ , Cod. Alex. αυτων .

Prov. XX, 2. ܘܕܘܡܚܡܬ m. ܕܡܢ ܘܕܘܡܚܡܬ Ex quo exemplo , quod sola puncta respicit , constat , collationem non ad Graecum textum sed ad versionem Syro-Hexaplarem fuisse factam .

---

(1) Ita expresse signantur puncta mon ܐܢ seu ܐܢ

Eccli. XXX, 4. ܕܡܐ ܐܝܟ ܗܘ m. ܘܡܚܒܪ ܘܠܐ ܡܝܬ

ܘܠܐ ܡܝܬ ubi Cod. Barber. eadem repetens pro ܕܡܐ

plene legit ܕܡܫܒܗ.

Alius generis notae sunt, quae in Novo Testamento lectiones textus vel corrigunt vel approbant, adjecta praesertim aliquando voce Graeca, litteris quamvis Syriacis conscripta. Saepe citatur his in notis auctoritas et sententia *Theodosii* cujusdam, qui videtur recensionem nostram cum Peschito et Graeco textu contulisse, in vocibus praesertim Graecis. Quisnam fuerit iste certe nescio: inter Jacobitas quidem plures fuisse viros insignes hoc nomine, compertum habemus, [2] de horum vero nemine, traditum, vel libros Sacros illustrasse vel calluisse Graecam linguam, si unum excipias *Theodosium Metropolitam Edessenum*, qui opera, praesertim carmina, *S. Gregorii Nazianzieni* in sermonem Syriacum fertur transtulisse. [3] Sed neque hunc esse constat ex titulo ܩܫܝܫܐ qui Scholiastae nostro tribuitur in margine Cod. Barber. quique solummodo *Prsbyterum* non *Episcopum* denotat. [4] Hinc Jacobiticis scriptoribus ab *Assemano* recensitis *Theodosius Presbyter* adjungendus.

---

(2) Tales *Theodosius* monachus sedis Hierosolymitanae invasor, (*Biblioth. Orient.* T. II. p. 55.) *Theodosius* Patriarcha, (ib. p. 124.) alius Episcopus Resinae, (p. 338.) alius Ep. Balbec, (p. 342.) alius tandem Callinicensis (p. 344.)

(3) Ib. p. 345, et T. III, P. I. p. 23. nota

(4) Vide sup. p. 211.

Deut. XXXI, 17 ܐܘܪ̈ܟܢ m. ܐܘܪ̈ܟܢ ܦܪ̈ܓܡܣ ܡܦܫܩܢܘܬܐ. Neque amplius citatur iste *Sergius*.

Obad. 20 . ܕܐܣܦܢܝܐ m. (sec. ma.) ܗܘܝܘ ܐܝܟ ܕܟܬܝܒ ܒܣܦܪܕ ܠܐܣܦܢܝܐ " Hoc juxta V. et N. scribitur *Asphania* . „ Sed forsan nota non ad scribendi modum sed ad vocis significationem respicit, quam Hispaniam esse sic clarius dicit, magistros habens Judaeos . [5]

Jon. I, 3 . ܠܬܪܫܝܫ m. (sec. ma.) ܬܪܫܝܫ ܣܦܪܕ.

Act. V, 1 . ܫܦܝܪܐ m. ܐܦܝܪܐ ܫܦܝܪܐ ܡܛܠ ܗܘ

XIII, 1 . ܢܓܪ m. ܢܓܪܐ.

7 . ܣܪܓܝܘܣ ܦܘܠܘܣ m. ܣܪܓܝܣ ܦܘܠܘܣ . Discrepantia est in puncto *Kuschoi* de quo scholium generale *Theodosii* mox dabo . Idem dicendum de voce ܦܘܪܓܐ *v.* 14. quae eadem ratione in margine corrigitur . Sed notandum in utroque loco habuisse lectionem marginalem punctum *ruchoi* , ܓ subjectum , quod , ut in aliis locis scalpello erasum est . Plura exempla talis emendationis , quae sonum litterarum nobis vix observatum solummodo respiciunt , dare inutile duco .

---

(5) *Targum Ionathan* in hunc locum .

XVI, 20. ܠܐܣܛܪܛܓܘܣ m. ܐܬܘ
ܠܐܣܛܪܛܝܓܘܣ. Edd. ܠܐܣܛܪܛܓܐ.

XXV, 11. ܐܢܐ ܩܪܐ ܘܠܐܘܓܘܣܛܘܣ ܕܩܣܛܢܛܝܢܘܣ
ܘܠܐܘܓܘܣܛܘܣ ܩܣܪ ܒܩܣܪ ܡܫܬܒܥ ܐܢܐ ܐܡܪ. m.
" *Theodosii*: Graecum ait, *per Caesarem juro*. „ Nomen Caesaris cum duplice ܩ redundante scribitur ut alia passim nomina.

XXVIII, 12. ܠܣܘܪܩܘܣܐ m. ܘܐܬܝܢ ܠܣܘܪܩܘܣ
ܠܣܘܪܩܘܣܐ. ܠܣܘܪܩܘܣ ܘܐܬܝܢ ܣܘܪܩܘܣܐ ubi notandus usus puncti ܳ non compositi, ex puro Graeco Υ desumpti.

I Cor. IV, 4. ܠܐ ܓܝܪ ܡܕܡ ܒܢܦܫܝ ܚܣܝܪ
ܐܘܕܥ ܠܐ ܓܝܪ ܡܕܡ ܐܢܐ ܒܝ ܝܕܥ ܐܢܐ ܐܡܪ ܗܘ ܝܘܢܝܐ m.
" *Theod. Non enim quidquam in me scio*, inquit Graecus textus. „

II Cor. II, 4. ܘܥܡ ܐܢܘܣܝܐ ܕܠܒܐ m. ܬܐܘܕܘܣܝܘܣ
ܝܘܢܝܐ ܣܘܢܘܟܝܐ ܐܡܪ. ܒܪܡ ܐܢܘܣܝܐ ܘܣܘܢܘܟܝܐ
ܬܐܘܕܘܣܝܘܣ ܚܢܩܐ ܡܬܦܫܩܝܢ " *Theodosius*. Graecum *sunuchia* (συνοχη) habet, et quidem utrumque, *anusia* et *sunuchia*, *suffocatio* redditur. „

III, 3. ܠܗ ܟܬܝܒܬܘܢ ܐܢܬܘܢ ܡܫܝܚܝܐ m. ܬܐܘܕܘܣܝܘܣ[6]

---

(6) *Widmanst.* et aliae editiones habent ܡܫܝܚܝܐ.

ܐܡܪ ܐܬܓܠܝܬܘܢ ܒܟܠܢ ܡܢܝܐ " *Theodosius* . Graecum , *manifestati estis* , dicit . „

Colos. titulus . ܩܘܠܘܣܣ m. ܐܬܦܪܣܝ ܩܘܠܘܣܝܐ ܡܢ ܩܘܠܘܣܝܐ.

I Thessal. IV , 6 . ܡܫܚܚܝܢ m. longe recentiore manu ܒܡܫܚܚܝܢ ܘܡܫܚܚܘܬܐ : ܠܐ ܘܡܢ ܡܫܚܚܘܬܐ ܐܬܝܐ ܗܘ ܘܠܐ ܡܢ ܡܫܚܚܝܢ ܘܡܫܚܚܘܬܐ ܒܡܫܚܐ.
" Codd. *maschichin* et recte : quum a *maschichiuto* (*mensura*) proveniat , non vero a *mschichiuto* , seu *unctione* . „ Edd. habent ut *tex.*

I Tim. V , 6 . 7 ܐܬܦܪܣܝ ܡܢܝܐ m. ܘܕܒܣܝܐ ܣܛܪܢܝܐ ܡܬܦܠܓܘܬܐ ܐܡܪ . ܗܘ ܡܫܬܡܠܝܐ ܘܣܛܪܢܝܘܬܗ ܦܘܠܐ ܡܫܬܡܠ . ܡܢܗ ܣܛܪܢܝܐ ܡܬܐܡܪܐ ܡܢ ܣܛܪܢܝܐ ܘܒܣܝܡܘܬܐ " *Theodosius* . Graecum habet σφαταλωσα : quod *hic* explicatur , et *strinos* (ςρηνος) *deliciae* redditur . Attamen *strinia* magis accuratum est quam *strania* quod est in textu . „

Tunc subjungitur sec. ma. ܒܣܝܡܘܬܐ ܘܡܟܬܒܢܐ ܐܣܛܪܢܝܐ ܟܬܒܐ " In textibus librorum

(7) Quod scripsi ut ܣ potius amanuensis lapsum puto .

scribitur *Estrania* : ,, communem sic innuendo lectionem quae in Peschito invenitur .

Tit. III, 10 . ܠܒܪ ܐܘܪܣܝܣܘܬܐ m. ܐܬܪܘ ܡܥܢܐ

ܗܪܣܝܘܛܐ ܐܦܢ ܡܢ ܚܕ ܐܘܪܣܝܣܘܬܐ ܐܫܬܐܠ ܡܢܗ.

Edd. legunt ܗܪܣܝܘܬܐ.

Mat. V , 22 . ܪܐܩܐ m. ܪܩܐ ܐܬܪܘ .

Luc. III , 1 . ...ܕܐܝܓܡܘܢܐ ܘܒܠܛܘܐ ܕܦܢܛܝܘܣ ܦܝܠܛܘܣ...

ܐܬܪܘܣ ܡܢܝܐ ܘܫܘܠܛܢܐ ܕܐܝܓܡܘܢܐ m. ܠܩܣܐܪܐ

ܕܦܢܛܝܘܣ ܦܝܠܛܘܣ ܘܟܘܫܪܐ . ܐܦ ܗܢܘܢ

ܗܢܘܢ ܡܢ ܗܠܝܢ ܕܒܢܝ ܩܘܡܐ

Hic , ut in aliis exemplis orthographia in nominibus Graecis a Peschito ad Graecum deflectit .

14 , 15. ܐܘܣܛܠܝܘܢ . ܘܡܢ ܡܣܟܝܢ

m. ܐܬܪܘ ܐܘܣܛܠܝܘܢ ܘܡܣܟܝܢ ܡܢ ܣܘܟܝܐ ܘܟܠܗ

ܡܣܟܝܢܘܬܐ ܡܢ Scholium in secundam vocem innuit, ita corrigendam esse ut *expectationem* denotet non *opinionem* . Repetitur totidem verbis ad XXIII, 8.

XII, 42 . ܦܪܣܐ m. ܐܬܪܘ ܦܘܪܣܐ (*Widmans.* ܦܪܣܐ).

XIX, 17. ܐܝܘ cum puncto composito :

m. ܬܐܘܕܘ ܝܘܢܝܐ ܠܐ ܐܝܘ ܐܠܐ ܐܘ ܐܡܪ :

ܕܡܬܦܫܩ ܫܦܝܪ ܘܗܕܐ ܚܬܝܬܐ ܗܝ. " *Theodo.* Graecum non *Iu* sed *Eu* dicit, quod vertitur *pulchre* ! et hoc accuratum est. "

XXIII, 50. ܐܘܣܝܦ m. ܝܘܣܦ ܒܘܠܘܛܝܣ.

ܒܘܠܘܛܐ Etiam in textu, secunda vox propius ad Graecum accedit quam Peschito.

Joan. II, 15. ܦܪܓܠܐ m. ܬܐܘܕܘ ܝܘܢܝܐ

ܦܪܐܓܠܠܝܘܢ Pes. ܦܪܓܠܐ

XVIII, 10. ܡܠܟܐ m. ܡܐܠܟܘܣ.

XX, 12. ܚܕ ܡܢ ܐܣܕܘܗܝ ܘܚܕ ܡܢ ܪܓܠܘܗܝ

m. ܬܐܘܕܘܣܝܘܣ ܝܘܢܝܐ ܓܝܪ ܗܪܟܐ ܐܡܪ ܚܕ ܠܘܬ ܪܫܗ

ܘܚܕ ܠܘܬ ܪܓܠܘܗܝ. ܗܕܐ ܕܝܢ ܕܪܓܠܘܗܝ ܠܐ

ܢܦܠܐ ܫܦܝܪ " *Theodosius*. Graecum enim hic dicit, *unum ad caput, et unum ad pedes ipsius*. Sed hoc

ܕܪܓܠܘܗܝ (ut in textu punctatur) non convenit omnino. "

Tandem in Codice Barber. qui eadem scholia quamvis non omnia habet, in fine lectionum Kar-

kaphensium legitur in margine sequens scholium, regulam quandam *Theodosii* continens pro transcribendis Syriace nominibus Graecis.

ܬܐܘܕܘܣܝܘܣ ܪܒܢ . ܟܠܗ ܝܘܢܝܐ ܓܡܠ ܘܠܐ ܕܠܕ ܘܠܐ

ܒܝܬ ܩܫܝܐ ܗܢ . ܐܦܠܐ ܒܥܬܝܩܬܐ ܐܝܟ ܬܪܝܢ

ܘܫܒܥܝܢ ܘܒܚܕܬܐ ܦܫܝܛܬܐ ܘܚܪܩܠܝܬܐ ܐܝܟ

ܕܣܓܝܐܐ ܒܫܡܗܐ ܝܘܢܝܐ ܠܐ ܙܕܩ ܕܢܩܫܘܢ ܗܢ

ܗܠܝܢ ܐܬܘܬܐ ܕܐܡܪܢ ܀ ܬܘܒ ܝܘܢܝܐ ܚܠܦ ܡܢܘܐܝܠ

ܡܢܐܝܡ ܐܡܪܝܢ ܚܠܦ ܣܪܓܝܣ ܣܪܓܝܘܣ

ܪܟܝܟܐ ܘܗܟܢܐ ܕܠܗܠܝܢ ܕܡܝܢ ܀

" *Theodosius* magister noster. Non habent omnino Graeci *gomal*, et *dolad* et *beth* dura; neque in V. T. juxta recensionem LXX aut in Novi Peschito seu Harklensi (nt plurimum) in nominibus Graecis oportet dictas litteras indurare. Iterum, Graecum pro *Mnoiel* dicunt *Manaim*, (?) pro *Sergis Serghios* molliter, (*aspiratum*,) et sic quae his similia. "

Unum et aliud *Theodosii* scholium supra dedi, quod varianti lectioni ex Peschito conjunctum jaceat: paucula vero, ubi nulla animadversio annectitur, omisi; solummodo enim litteras ponit in margine quae Graecae orthographiae magis accedant. Videtur igitur iste operam dedisse collationi hujus textus cum Graeco et Peschito, adhibita etiam Har-

klensi versione, ut in margine notaret magis accuratam orthographiam verborum Graecorum. Ex quo patet, confirmari quae de hujus recensionis indole supra dixi, nomina Graeca insolita ratione Graecos sonos magis imitante conscribi. Animadversione pariter dignum, non ita contentos hac recensione fuisse qui ipsam transcribebant quin eam adhuc emendatione egere censerent; quum ipsos videamus tot lectiones suggerentes in margine, Graeco magis conformes; e contra, vero, textus ipse aliquando retinuit orthographiam simplicem. Hinc forte liceret deducere, non uno ictu fuisse recensionem istam refictam, sed temporis progressu, suggerente in margine Codicis scribente vel lectore magis accuratam lectionem, vel manu correctrice admota textui inserente. [8]

Restat tandem ut scholia transcribam quae verborum significationes respiciunt, quae pauca quidem sunt. Ea, fateor, initio reservaveram Commentationi quam paro, *De fontibus emendandi et ampliandi Lexica Syriaca*, ut et ea quae, in *prima* mearum *Symbolarum particula*, ex *Ephraemo* exhibui; in qua quidem Commentatione, mihi disserendum erit, inter alia, de ipsis Syris verborum vim declarantibus. Sed ut magis pateret cultura et cogitandi ratio eorum qui hanc recensionem saltem transcripserunt, ea hic collecta lectoribus trado.

---

(8) Non transcripsi scholia quae variationes Harklensis sistunt: nihil enim habent, quod non possit quivis videre collata Ed. *Whitiana* cum Peschito edita.

Job VI, 6. ܗ̄ ܒܡܠܐ m. ܒܪܘܚܗ ܕܣܟܠܘܬܐ.

ܣܪܝܩܘܬܐ " Hoc est, *verbis inanibus*. "

VII, 6. ܒܙܘܩܘܝ m. ܢܘܠܐ ܕܝܩܘܠܐ *tela textorum*. Interpretatio haec magni facienda. Norunt qui huic loco studium impenderunt vocem ܩܘܝ habere in *Castello* solam *araneae* significationem, *Ferrarii* tatummodò auctoritate fulcitam: ex quo maxima enascitur difficultas in conciliando interprete Syro cum Hebraico textu, habente מני־ארג *textura*. Sed ex scholio hoc discimus vocem ܩܘܝ non *araneam* sed *textores* significare; collato nomine קו. Est plurale ܩܘܐ ut erudite conjicit Doctis. *Rosenmüller*, 9 quamvis *filum* significare putet. Tandem notandum, in nostro Cod., quasi una tantum vox sit, legi ܒܙܘܩܘܝ ex quo conludo, vocem compositam esse et significare simpliciter *telam* seu *texturam*, quum praesertim non ponatur *ribui* supra ܩܘܝ; tuncque exacte respondet Hebraicae veritati.

(9) *Iobus. Latine vertit et annotatione perpetua illustravit, Ern. Frid. Car. Rosenmüller*, Ed. sec. Lips. 1824. p. 240.

XV, 26. ܒܥܘܒܝܐ ܕܡܓܢܗ m. ܥܘܒܝܐ crassitudo. *Castellus* habet sub ܥܒܐ, omisso ܘ, ubi vide *Michaelis* annotatum. Scholium nostrum videtur hujus conjecturam ex Arabico confutare.

XXXVI, 13. ܚܢ̈ܦܝ ܠܒܐ. m. ܗ̄ ܢܣܒܝ ܒܐܦܐ ܘܡܪܚܢܐ " Id est; *hypocritae* et *audaces*.,, Quae interpretatio optime contextui cohaeret.

XXXVII, 13. ܐܘ ܠܒܣܘܡܐ. m. ܗ̄ ܠܒܘܣܡܐ Vox a *Castelli* Lex. exulat.

I Sam. IV, 18. ܦܪܩܘܬܐ m. ܗ̄ ܢܩܪܗ Ista vero vox deest in Lexicis.

II Sam. VI; 17. ܘܣܢܝܢܬܐ m. ܗ̄ ܩܠܘܙܐ " Hoc est *lagena*.,,

XVII, 19. ܘܩܦܐ m. ܗ̄ ܛܪ̈ܦܐ ܕܕܩܠܐ " H. e. *folia palmarum*.,,

Esaj. XXVIII, 1. ܘܟܠܝܠܐ m. ܗ̄ ܗܘ ܗܘܒܐ ܡܫܒܗܪܐ (10) " Hoc est, *Flos superbus*.,,

(10) Apposite ad vocem istam liceat annotare, *Michaelem* ad *Castel.* p. 937, supplere adverbium ܡܫܒܗܪܐܝܬ *superbe*, citareque *Ephraemum*, T. I. p. 42; sed in illa pagina talis vox non occurrit; habetur tamen ibi sub littera E. ܡܫܬܒܗܪܐܝܬ adverbium correspondens voci in textu adhibitae, quae tamen desideratur in *Castello*.

XXX, 14. ܠܡܣܚܪܦ m. ܠܡܐܠܦ ܗܘ " H. e. *ad effundendum* . „ Hinc supplenda Lexicis radix ܐܠܦ quae deest , quamvis notentur voces ab ea derivatae .

XXXIV, 14. ܠܠܝܬܐ quam *lamiam* vertunt post Syros passim interpretes vel daemonem , [11] singulari vero ratione explicat Scholiastes noster , sic ܗܘ ܡܥܪܕܐ ܕܒܪܐ " H. e. *onager* . „

XXXV, 1. ܡܫܪܓܠܬܐ m. ܫܘܫܢܬܐ ܗܘ H. e. *lilium* . „

XLVI, 1. ܛܥܢܐ ܠܒܥܝܪܐ m. ܡܚܙܡܐ quae vox non reperitur in Lexicis , sed ex radice et aliis ab ea derivatis , *colligatum* et *cinctum* quid designat , confirmatque quod pro ܒܥܝܪܐ ponit *Castel.* scilicet *sarcinas colligatas* .

LX, 4. ܦܪܢܘܬܐ m. ܒܟܬܦܬܐ Vocem illam reddunt interpretes *incunabula* ; in Hebraico vero textu habetur צד . Si vera sit interpretatio marginalis *humeros* reddens, melius certe textui originali cohaeret. Sed cf. quae mox dicentur ad Jer. V, 27.

Amos III, 4. ܣܠܘܐ m. ܠܒܙܐ *praeda* . ܣܠܘܐ absque

(11) V. *Castell.* a *Michaele* edit. pp. 39, 444, et *Rosenmül.* in *Ies. Vaticinia* . Vol. II. Ed. 2. p. 476.

exemplo, inter alia redditur *venatio*, quae significatio sic confirmatur.

Jer. V, 27. ܡܨܘܕܬܐ m. ܦܚܐ ܕܟܦܐ *laqueus inclinatus*. Notandum quidem, hanc esse ipsam *Hexaplarem* versionem, ut apparet ex *Jeremia* a *Norbergio* ex Cod. Syro-Hexap. Mediolanensi edito.

Hinc forsan lectiones illae quas absque ܗܘ praefixo dedi ex nostro Codice, ad Lectiones LXXvirales demandandae sunt: sed quum nullum signum apponatur quo hoc constet, neque cum Codd. Hexaplaribus mihi liceat conferre, hic potius posui.

XLI, 5. ܘܐܬܟܬܫܘܢ m. (alia ma.) ܐܫܬܓܫܘܢ ܗܘ " H. e. *tumultuati*. "

Ezec. I, 14. ܐܒܣܛܐ m. (al. ma.) ܗܘ ܟܐܦܐ ܐܘܣܛܝܟ ܐܩܝܢܬܝܢܘܣ " Hoc nimirum est *lapis hyacinthinus*. " [12]

II Timot. II, 23. ܫܘܐܠܐ ܣܟܠܐ m. ܗܘ ܒܘܩܝܐ " Hoc est, *scrutationes*: " scilicet referre videtur annotator ad haeresim illam de qua sub hoc nomine saepius agit *Ephraemus*. Vox deest in Lexicis.

III, 5. ܡܢ ܚܝܠܗ ܘܟܦܪܝܢ m. ܗܘ ܒܚܝܠܗ ܟܦܘܪܝܢ " H. e. *ejus vires negantes*. " Quae qui-

(12) V. priorem particulam p. 115, nota 16.

dem interpretatio textum Graecum propius attingit.

IV, 13. ܟܬܒ̈ܐ ܕܡܓܠܬܐ (*Wid.* ܟܪܟܐ.) m. ܦܐܠܘܢܝܢ. ܡܓܠܬܐ ܟܬܒ̈ܐ ܕܢܡܘܣܐ ܕܝܗܘܕܝ̈ܐ ܐܡܪ܆ "φελωνην. De voluminibus legis Judaeorum dicit.,,

Heb. IX, 11. ܗܘ ܠܐ ܗܘܐ m. ܠܐ ܗܘܐ ܡܢ ܗܠܝܢ ܒܪܝܬܐ ܕܗܕܐ ܒܪܝܬܐ " H. e. *non est ex hac creatione.*,, Quod pariter Graeco magis conforme.

Haec igitur de Karkaphensi habui quae dissererem; de qua quidem hactenus praeter nomen nihil notum: cujus tamen indolem, post haud parum studii adhibitum, spero nunc satis perspectam fore philo-Syris. Hanc vero meam opellam si probaverint, diligentiam admovebo, ut quae per spicilegium de Versionibus Syriacis *mediatis* collegi et seposui, in secundo mearum *Horarum Syriacarum* tomulo lucem aspiciant.

IV.

FRAGMENTUM SYRIACUM

CHRONOLOGIAM XVIII[ae] DYNASTIAE

AEGYPTIORUM

ALIQUATENUS ILLUSTRANS.

Fragmentum Syriacum, chronologiam XVIII[ae] dynastiæ AEgyptiorum spectans.

Sistitur fragmentum, et cum aliis monumentis comparatur.

Quum Hebraeorum Respublica incunabula AEgyptum quodammodo nacta sit, jam vero adulta, vel stricto pacis vinculo vel consertis armis habuerit semper sibi proximam, mirum esse non potest utriusque historiam lucem invicem conferre. Cujus quidem quum pars magna sit rerum gestarum seriem temporum rationi accommodare, ita ut innotescat, quo aevo quove tenente imperium unaquaeque patrata sit, hinc multum prodesse debet Hebraeorum historiae rite cognoscendae, suae cum AEgyptiorum chronologia comparatio. At obstabat hactenus non solum rei ipsius summa difficultas et obscuritas, sed etiam inopia monumentorum, quae comparationi instituendae materiam substernere valerent. Quae enim *Manetho* de serie Regum AEgyptiorum litteris consignaverat ita deturbata videbantur, adeo varie referuntur a *Iosepho*,[1] *Africano*,[2] et *Eusebio*, cujus exemplar Armeniacum [3] a Grae-

(1) *Cont. Appion.* L. I.

(2) *Jos. Scaligeri... Isagog. Chronologiae Canonum*, ad calc. *Thesauri Temp.* mox citandi p. 126.

(3) *Eusebii Pamphili Chronicon bipartitum, ex Armeniaco textu in Latinum conversum*, etc. Venet. 1818. De quo opere vide judicium praeclarissimi viri, et in historicis celeberrimi in, *British Critic*, No. III. April, 1826. pp. 78, seqq.

co[4] pariter dissidet, ut ea vel omnino fabulis fictis accensenda multi judicaverint, [5] vel saltem ita ab istis scriptoribus in *Procrustano* lecto torta, ut nulla superesset medelae spes. [6]

Attamen quod sperare vix ausi eramus, id nostro aevo contigit, ut, facem praebentibus duumviris clarissimis *Young* et *Champollion*, monumenta AEgyptiaca novam lucem acceperint. Hinc *Manethonis* chronologia, collatis AEgyptiorum scriptis monumentis in meliorem ordinem redigi poterit, et, ubi depravata est a recentioribus, emendari. Hoc jam efficere conatus est vir Lagidarum annalibus celeberrimus *Champollion-Figeac*, qui chronologiae AEgyptiacae consarcinandae ex *Manethone* et monumentis operam dedit. 7 Laboriosi hujus operis examen instituere meum non est: scio quidem errare in subtilioribus ejusmodi esse humanum, neque quidquam ex omni parte beatum a primo vel acutissimi ingenii conatu, produci sole-

(4) *Thes. Temp.* seu *Eusebii Chronicon*, a *Scaligero*, Lugd. Bat. 1606.

(5) Ita *Capellus* qui *Manethonem* appellat, " Mendaciorum loquacissimum, Canopi vernam. „ (Ap. *Fourmont*, *Reflexions critiques sur les histoires des anciens peuples*, T. II. p. 85. Paris, 1735.) Ita et *Petavius* : "Illorum (AEgyptiorum) origines fabularum licentia corrupit. „ (*Rationar. tempor.* L. I. Cap. II. p. 2.)

(6) *Volney*, *Recherches nouvelles sur l' histoire ancienne*. Paris, 1822, p. 293.

(7) In Commentariolis adjectis ad calcem Epistolarum quibus titulus ; *Lettres a M. Le Duc de Blacas d' Aulps . . . relatives au Musée Royal de Turin, par M. Champollion le Jeune, Première Lettre. Monumens Historiques*. Paris, 1824. *Seconde Lettre*, ib. 1826.

re ; attamen credo nemini non constare summo studio summaque eruditione allaborasse virum doctissimum in re perardua , et quidem eo exitu , ut amplius non liceat Chronologo sacro , hujus sententia inconsulta , temporum seriem retexere .

Quo vero magis magisque certam veritatem teneamus , oportet omnia congerere quae chronologiam AEgyptiacam quamvis leviter tantum pertingant , praesertim vero in magis remoto aevo . Hinc operae pretium duxi scholium edere in quod incidi , pervolvens Codicem Vaticanum nunc CIVum inter Syriacos . Est Codex ab *Assemano* descriptus in primo *Bibliothecae Orientalis* tomo , pp. 36. et 607. Liber exaratus est anno 1172. Graecorum , seu aerae nostrae 861. Scholia , quae pro more orientalium marginem ubique fere replent , [8] adjecta sunt a *Simeone* monacho , qui tamen tempus nullibi designat quo adjecit . At color atramenti aeque ac in textu flavescens , et litterarum antiquior forma suadent notas istas aetate vix textui cedere . Continet commentarios *Ephraemi* , *Iacobi Edesseni* et aliorum in Veteris Novique Foederis libros . Ad Exodi vero II, 10, in margine habetur sequens scholium .

(fol. 44. verso .) ܒܪܬܗ ܕܦܪܥܘܢ ܗܝ ܕܪܒܝܬܗ

ܠܡܘܫܐ : ܫܡܗ ܬܐܪܡܘܬܝܣ . ܦܪܥܘܢ ܕܝܢ ܐܒܘܗ̇

ܡܬܩܪܐ ܗܘܐ ܡܟܢܘܦܬܐܝܣ . ܘܡܢ ܒܬܪ ܕܡܝܬ ܗܘܐ

---

(8) Videsis *Russell*, *Natural History of Aleppo*, Lond, 1794. T. II. p. 122.

ܐܡܠܟ ܐܢܛܝܦܛܪܘܣ. ܘܗܝ ܕܪܒܝܬܗ ܐܘܪܗ ܠܡ̈ܫܐ

ܥܡܘܗܝ ܐܠܐ ܕܝ ܐܬܪܡܘܬܝܣ ܡܬܩܪܝܐ ܗܘܬ ܒܪ ܒܢܝ ܥܡܪܡ: ܠܦܪ̈ܥܘ

ܫܢܝܐ ܕܟܝ ܘܡܠܟܘܬܐ ܕܐܬܘܪ: ܐܬܢܣܒ ܕܟܢܘܫܬܐ

ܐܢܫ ܡܢܝ ܕܟܢܘܫܬܐ ܕܒܢܝܬ ܡܠܟܘܬܐ ܐܬܘܪܝܐ

ܘܫܒܥܝܢ ܘܬܪܝܢ ܐܬܘܗܝ ܫܢܝܢ ܠܡܨܪܝܐ ܕܠܗܡܟܠ

ܒܡܨܪܝܐ. ܘܗܝ ܐܠܐ ܐܡܪܢ ܠܡܫܟܠ ܡܕܝܢܬܐ

ܡܠܟܬܐ ܕܟܘܫ ܘܡܬܩܪܝܐ ܗܘܬ. ܘܗܟܢܐ ܕܝܢ

ܐܬܩܪܝܬ ܡܐܪܘܗ ܡܢ ܩܡܒܘܣܘܣ ܡܠܟܐ ܕܦܪܣܝܐ.

ܘܗܝ ܐܢܬܬܐ ܡܘܫܐ ܢܣܒ ܠܗ ܠܐܚܬܐ ܡܢ ܐܡܗ ܠܟܢܫܗ

ܘܡܠܟܐ ܕܟܘܫܝܐ ܘܡܬܬܪܝܢܐ ܠܐܘܪܚܐ ܡܬܚܫܠ

ܕܒܡܠܟܘܬܐ ܘܡܢܗ ܐܬܩܪܝܬ ܠܗ ܡܪܘܝܐ

ܘܟܠ ܐܬܘܢ ܕܗܘܐ ܒܝܘܡܘܗܝ ܕܢܣܒ ܠܗ ܘܡܘܡܬܐ

ܕܢܦܠܐ ܠܗ. ܟܕ ܕܝܢ ܗܘܝܢ ܫܢܝܐ

ܐܬܝܗ . . . ܕܬܠܬܝܢ ܕܢܦܩܗ. ܕܬܠܬܡܐܐ

ܕܢܝ ܘܬܠܬܝܢ ܕܡܠܟܘܬܐ ܕܟܠܗ ܐܪܒܥܝܢ ܀

" Filia Pharaonis , quae Mosen educavit , diceba-
tur *Tharmutis* : Pharao autem ejus pater appella-

batur *Memnophmain*. Post hujus mortem regnavit *Aminophthis*, et post ipsum *Horos XXXVIII ANNOS*. Quum vero Moses annum ageret *XXVIII*, anno videlicet *XXIII* regni *Hori*, consilium cepit Mosen ad bellum mittendi quod contra Cuschaeos gerebatur, quippe qui, in regia educatus, sapiens et exercitatus habebatur. Abiens igitur expugnavit horum civitatem regiam cui nomen *Schaba*, quae postea mutato nomine dicta est *Medu*, a *Cambyse* Rege Medorum. Quum igitur vicisset Moses, sumpsit sibi inde uxorem filiam Regis Cuschaeorum, quae dicebatur *Tharbi*, cujus opera Urbs tradita erat, pacto inito, datisque dexteris ipsam in uxorem se ducturum. Haec quum gesta sunt *triginta* annos natus erat (Moses,) anno, a promissione Abrahae facta, *trigesimo supra tercentesimum* labente. „

Fabellam jam notam hic narrari non me latet; non vero narratio omni ex parte ficta habenda est. Namque successio Regum *Amenophis* et *Hori* consentit cum *Manethonis* et tabulae Abydenae serie. Nomen quidem *Memnophmain* praedecessoris *Amenophis*(*II.*)non convenit cum eo quod ex illis monumentis colligitur; (scilicet *Thoutmosis*;) habet tamen formam AEgyptiacam, neque forma absimile videtur nomini *Ammon - Mai*, quod in monumentis pro *Manethonis Amenophe* invenitur. Hic per transennam liceat annotare quam egregie soleant Syri in nominibus AEgyptiis a veritate aberrare, quo magis pateat *Simeonis* nostri auctoritas. Sit exemplum *Barhebraeus* qui sic habet, explicans Exod. I, 5. ܘܩܡ ܡܠܟܐ ܚܕܬܐ
ܥܠ ܡܨܪܝܢ. ܕܠܐ ܝܕܝܥ ܗܘܐ ܠܝܘܣܦ ܗܘ ܕܠܐ ܝܕܥ ܗܘܐ

ܠܗ ܠܝܘܣܦ. ܘܐܠܐ ܐܝܟܢܐ ܠܐ ܡܝܕܥܐ ܗܘܐ ܐܒܐ

ܘܡܕܒܪܢܐ ܡܫܡܗܐ ܕܐܝܟ ܗܘ. ܘܦܠܡܬܝܘܣܝ ܗܘܐ

ܫܡܗ ܠܡܠܟܐ ܗܘܐ ܀ 9 "*Et surrexit Rex alius qui non cognoscebat Ioseph*: id est qui non diligebat Ioseph. Et quidem quo pacto ignotus erat pater et gubernator illustris qualis ipse: Rex autem ille dicebatur *Phalamthiosi*.,, Sed ubinam quaeso nomen tale recitatur in integris regni AEgyptii fastis? At non solum evincitur *Simeon* ex antiquioribus monumentis suam seriem scripsisse, sed et ex *Graecis* fontibus hausisse. Namque terminatio vocis *Horos* satis clare talem originem prodit, quum AEgyptii nomen potius *Hôr* scribant. Quemnam auctorem vero sequutus sit, hariolari non liceat; videntur enim Syri auctorem nescio quem de rebus AEgyptiis habuisse, cujus tamen nomen Graeciam sapit. Audi enim *Iacobum* Edessenum Exod. I, explicantem.

ܗܢܐ (ܡܠܟܐ) ܡܠܟ ܗܘܐ ܘܠܐ ܝܕܥ ܗܘܐ ܠܝܘܣܦ-

ܕܡܨܪ̈ܝܐ. ܟܠܗ ܡܠܟܐ ܗܢܘ ܕܡܬܐܡܪ ܦܪܥܘܢ ܗܘܐ

ܗܝܕܝܢ ܒܡܨܪܝܢ. ܦܪܥܘܢ ܡܫܬܡܗ ܗܘܐ. ܗܢܘܢ ܕܝܢ

ܕܒܬܪ ܐܒܐ ܕܡܫܝܚܐ ܦܛܠܡܝܘܣ ܐܬܩܪܝܘ ܒܫܢܝ

ܒܪܡ ܠܗ ܠܚܘܕ. ܦܪܥܘܢ ܡܫܬܡܗܘ ܒܫܡܐ ܡܠܟ̈ܐ

ܚܘܝܐ ܐܠܐ ܠܟܠܗܘܢ ܡܠܟܘܬܐ ܕܕܪܗ. ܡܫܬܡܗܐ ܒܪܡ

(9) Cod. Vat. descripti p. 84, fol. 25.

ܟܠ ܒܥܘܠܘܬܗܘܢ ܕܡܠܟܘܗܝ ܕܩܕܡܝܐ ܡܨܪܝܐ
ܦܛܘܠܡܐܘܣ ܦܪܥܘܢ ܒܬܪܐ ܕܡܫܝܚܐ ܀ [10]

" Iste (rex) impie se gerebat , opprimebatque filios Israel . Omnes igitur reges qui tunc in AEgypto regnabant , appellabantur *Pharao* , qui vero post Christi tempora , *Ptolemaei* dicebantur . (!) Attamen non unum regem vocat Scriptura *Regem novum* , sed totam dynastiam illius aevi . Pravitatem vero illorum regum Aegyptiorum narrat *Methodolus* AEgyptiorum Chronographus . ,, *Methodolum* istum *Manethonem* esse ratus est *Assemani* , [11] neque inficias ibo ; nomen saltem istud ex solo *Iacobo* hactenus innotuit .

At *Simeon* noster secutus ne est *Manethonem* aut ignota nobis monumenta ? Certe illi consentit in posteriorum duorum regum serie , *Amenophim* dico et *Horum* , dissidet vero in primo quem *Memnophmain* appellat . Ipsum pro se finxisse talem seriem evidenter repugnat ; si vero *Manethonis* pedissequus habendus sit , quare a ductore tam egregie deflectit in primi regis nomine recensendo ? Nodum solvendo imparem me fateor , sed fortasse ex aliis Syrorum scriptis veritas aliquando constabit . At nunc plenius ea pandamus quae de chronologia AEgyptiorum docet iste Syrus ; praemissa tabula chronologica illius temporis a *Champollion - Figeae* ex *Manethone* consarcinata . [12]

---

(10) Cod. Vat. CIV. fol. 44.
(11) *Bib. Or.* T. I. p. 488.
(12) Ubi sup. *Lett. prém.* p 107.

XVIIIª Dynastia.

Ordo seriei.	Nomina in monumentis.	Nomina apud Historicos.	Regni duratio.		Initium Regni A. C.
7.	*Thoutmosis* (III.)	*Thoutmosis*.	9, ann.	8. men.	1697.
8.	*Amenophis*. (II.)	*Amenophis* (II.)	30,	5.	1687.
9.	*Hor*.	*Horus*.	38.	7.	1657.

Ut ab ultimo incipiam, observatione dignum *Manethonem*, tam ab *Eusebio* [13] quam a *Iosepho* [14] adductum ipsi concedere *triginta sex* annos et *quinque menses*. At viderat Vir Cl. cum temporum calculo non cohaerere minorem hunc numerum unde alio sibi confugiendum duxit. " Mais le texte Armenien de la Chronique di Eusebe en rapportant le meme passage de Manéthon, donnant, outre quelques variations de nombres peu importantes, *deux années et deux mois* de plus au regne du Roi Horus, *TRENTE-HUIT* ans sept mois, au lieu de trente-six ans et cinq mois, ou peut adopter aussi ce même nombre de *trente-huit* ans sept mois. „ [15] Hujus numeri adoptio fundamento destituitur, nisi supponamus Graecum *Eusebii* textum vitiatum esse, ita ut sola versio Armeniaca genuinam servaverit lectionem. En igitur in fragmento nostro inopinatam hujus conjecturae confirmationem. Quum enim Syrus noster ex Graeco sua

(13) *Chronich.* etc. p. 16. Ed. cit.

(14) Lib. I. *cont App.* T. II p. 446. Ed. Haverc. Observandum autem *Africanum Horo* tribuere annos XXXVII. Cf. *Fourmont*, ubi sup. p. 53.

(15) *Let. prem.* p. 97.

sumpsisse dicendus sit, si *Manethonem* habuit ducem oppido manifestum est, Graecum istius textum *Horo triginta octo* annos tribuisse, tot enim noster concedit. Si e contra aliunde hausit, non minus evincitur, *alios* auctores textui Armeniaco conspirasse, unde majorem consequitur auctoritatem.

In *Amenophis* regno major est discrepantia. Non quidem illius durationis annos diserte promit, sed calculo non difficile eruuntur; *Mosen* enim dicit natum fuisse solium tenente *Memnophmain Amenophis* praedecessore, annum vero egisse vigesimum octavum, anno *Hori* tertio supra vigesimum. Detracto posteriore hoc numero, remanent anni solumodo *quinque*, quos solos sub priorum duorum Regum ditione vivere *Moses* potuerit. Quod si supponamus natum fuisse ultimo *Memnophmain* anno, remanent ad summum *quatuor anni*, quibus regnare potuerit *Amenophis*. E contra vero in tabula adducta *triginta* habet. Attamen animadvertendum duco, *Simeonis* auctoritatem in hoc calculo flocci esse faciendam: Namque quamvis, annos regnorum numerans, potuerit consulere authentica *documenta*, et consuluisse dicendus sit ex mirifico cum versione *Eusebii* consensu, tamen in *Mosis* annis computandis *systemata* tantum sive aliorum sive demum sua necessario sectari debebat; systemata vero haec ex Chronologia dijudicanda, non Chronologiae fundamentum ullum substernere valent.

Et quidem tot ac tam varia ista semper fuerunt, ut mirum esse non debeat, si quod inveniatur quocum non male cohaereat ipsius computatio. Si *Mo-*

ses, ut habet noster, anno *Hori* vigesimo tertio, aetatis agebat annum vigesimum octavum, ex tabulis *Champollioneis* natus fuisset anno 1662 ante Christum natum. In Chronologica tabula annexa *Archaeologiae Biblicae breviter expositae a D. Four. Ackermann*, ponitur eadem aera anno 1684; quae quidem differentia (22. annorum) parvi momenti est in hujusmodi calculis. Neque male cohaeret sacra cum AEgyptiorum chronologia, si epocha his proxima sumatur. Tunc enim *Iosephi* dominium in AEgypto circa annum 2050 A. C. cadit, rerum videlicet potita Dynastia *Hyk-schos* seu *Arabum*. Sic intelliguntur *Iosephi* ad fratres consilium, et alloquium ad *Pharaonem*, quo hunc certiorem faceret suos pastoralem vitam degere; inde sperans se AEgypti optima culta consequuturum, quum tamen fateatur AEgyptiis profanos execrandosque habitos fuisse qui eam artem profitebantur. [16] Anno circiter 1820, *Thoutmosis* complevit expulsionem *Hyk-schos* jam a patre *Miphra-Thoutmosis* coeptam, annis nimirum post *Iosephum* 200. Optime Rex iste dici poterat Iosephum non *cognovisse*, [17] seu rectius non *recognovisse*. [18] Dynastia enim quae

(16) Gen. XLVI, 31-XLVII, 7.

(17) Exod. I, 8.

(18) Quo sensu saepe adhibetur ירע in Vet. Tes. ut I. Sam. XI, 12. et alibi passim. Cf. *Rosenmüll.* ad Hos. XIII, 5, Lips. 1812, p. 396. et *Glassii Philologiam*, Ed. *Bauer.* p. 829, ubi pariter allegatur textus noster. In novo F. simili ratione usurpantur verba scientiam exprimentia, ut Mat. VII, 23. XXV, 12, Heb. XIII, 23. Cf. *Glass*, lo. cit. Non aliter *Tullius* Si-

ferro flammaque Pastores Reges eorumque fautores ubicumque insequebatur, ejus merita certe agnoscere non voluisset qui illi dynastiae praeclarissima officia praestiterat, totam AEgypti tellurem fame afflictam ipsius dominio arctius et intimius subjugando. [19] Certe haec omnia melius cohaerent inter se quam si supponamus dynastiam *novam* fuisse *Pastorum*, quam quidem hypothesin amplectitur doctissimus *Rosenmüller*. [20] *Dynastiam*, vero, novam potius quam Regem singularem innui a Sacro Codice viderat jam ante *Iacobus* Edessenus supra citatus. Haec sufficiant ad ostendendam connectionem quam habet *Simeonis* chronologia cum *Champollioni* systemate non minus quam cum tabula sacrae historiae doctissimi *Ackermanni*. Adjungam solummodo, in hac, initium regni *Roboami* poni cum

---

culos inducit *Caecilio* dicentes; " Te non *novimus*, „ quum tamen constat per triennum cognovisse. (*Divinat. in Caecil.* §. VII.) At eruditiss. *Rosenmüller* vocem יָדַע in nostro textu, in stricto cognitionis sensu sumi vult.

(19) Gen. XLVII, 20.

(20) *Scholia in Vetus Test.* Par. I. vol. II. Ed. tert. p. 8. Si *Ioseph* tempore *Pastorum Arabum* (quorum primus *Salatis* سلط dicebatur Cf. *Champol.* ut sup. *Sec. Let.* p. 159.) ad primos honores evectus est, mirum vix erit si voces Arabicae in ejus historia inveniantur tanquam ab AEgyptiis in proclamationibus etc. usurpatae. Videntur enim isti Reges, quidquid AEgyptium erat odio fuisse prosecuti. Quae omnia si ita sint, quid vetat sumi pro imperativo *Arabico* vocem אַבְרֵךְ (ابرك) *genua flecte*, qua praeco in *Iosephi* triumpho proclamabat. Tunc non recurrendum ad Copticas dictiones quas, nescio an feliciter, conglutinarunt alii. Vide *Rosenmüll.* in Gen. ut sup. Vol. I. p. 623.

Usserio A. C. 975. Quinto hujus anno Judaeos debellavit *Schischak* AEgyptiorum rex, anno nimirum 970. [21] Porro in tabulis *Champollionaeis*, *anno preacedente* 971, desiit regnare vigesima prima dynastia, soliumque occupavit vigesima secunda, *cujus primus rex* nominatur *Scheschonk*. [22]

(21) I. Reg. XIV, 25.

(22) *Sec. Lett.* p. 164, cf. p. 120.

Addendum notae 48, p. 134.

Libuit hic pauca adjungere iis quae tam in hac nota, quam in textu disserui de voce ܐܪܫܟܐ in Ier. XXV, 26, obvia, et forma foeminina ܐܪܫܟܬܐ, LI. 41. Vocem, ut vidimus, *Ephraemus malleum* reddit, quae significatio videtur, neque contextui, neque analogiae linguae convenire. *Monarcham* et *Reginam* vertit *Gabriel Sionita*, tam saepe inscitiae a *Michaele* accusatus; sensumque parum a vero abhorrentem tenuisse puto. Vocabulum enim hoc, obscurum tantummodo redditur punctorum appositione; quod si, levi mutatione admissa, legamus ܐܪܫܟܐ seu, prout in *Castelliano* lexico ponitur, ܐܪܫܟܐ producitur vox *Arsacida*. Tunc enim prior locus reddendus est: *Et Rex Arsacida post eos bibet*. Eodem modo Babylon, capite II. appellata similiter a Propheta ששך dicitur et a Syro ܐܪܫܟܬܐ seu *urbs Arsacida*. Interpretationem istam non nuda conjectura innixus profero, constat enim urbes hoc ipso epitheto fuisse insignitas, et quidem ita ut *Sionitae* interpretatio confirmetur. Exemplum accipe ex *Epistola Synodica a Patriarchis Occidentalibus ad Orientales missa*, quae legitur in tertio tomo *Bibliothecae Orientalis* P. I, pp. 52. seq. Ibi nominatur ܡܝܛܪܦܘܠܝܛܝܣ ܪܒܐ ܕܡܕܝܢ ܒܝܬ ܠܦܛ

ܡܕܝܢܬܐ ܐܪܫܟܝܬܐ " Metropolita magnus qui sedem habet Seleuciae, in urbe *Arsacida*. „ Sed etiam clarius et magis absolute ponitur pag. sequente, ubi sic legimus. " Conferimus donum patriarchatus ܠܟܘܪܣܝܐ ܩܕܝܫܐ ܕܡܝܛܪܦܘܠܝܛܘܬ ܪܒܐ ܕܒܟܘܟܐ ܪܒܬܐ ܕܥܕܬܐ ܕܒܣܠܝܩ ܡܕܝܢܬܐ ܐܪܫܟܝܬܐ ܕܒܡܕܢܚܐ. sedi sanctae Metropolitae magni in magna Chochensi Ecclesia, quae est Seleuciae, in urbe *Arsacida* orientis. „ In utroque loco reddit *Assemani Arsacidarum*, sed magis probabile videtur, maxime ex secundo loco, vocem vim obtinuisse *praecipuae* seu *Reginae* ex dominio *Arsacidarum* derivatam. Et quidem Epistola ista synodalis conficta est, anno circiter Christi 500, ex *Assemani* conjectura,[1] aut saltem longe post Arsacidarum extinctionem:[2] unde merus titulus dignitatis esse revincitur. Si vero supponamus falsarium titulum usurpasse, quo melius, in antiquitate ipsi vindicanda, falleret lectores, tunc dicendum Versionem Peschito, in qua vox occurrit, conscriptam fuisse ante expulsam Arsacidarum gentem, seu ante annum 226; quod tamen aliis ex momentis plus satis constat.

---

(1) *Bib. Or.* T. III. P. I. p. 58.

(2) Quae locum habuit A. D. 226. Videsis *The History of Persia*, etc. *by Col. Sir John Malcolm*. Lond. 1815. T. I. p. 89.

FINIS.

INDEX

VOCUM SYRIACARUM

Quae in hoc Tomo explicantur vel discutiuntur.

ܡܠܓܐ pag. 128. ܐܘܦ

ܣܡܟܘ 51. ܐܦܦ } pag. 88.

ܣܡܟܢ 165. ܐܠܘܦܝ 130.

ܐܢܢܝܐ 168.

ܐܘܗܝ 122.

ܐܪܒܢܐ 126.

ERRATA

Pag.	Lin.				
VIII	17	post	*praebuit*	adde	*iis*
1	5	pro	*IX*	lege	*XI*
9	1		*omnibns*		*omnibus.*
20	8		*Michaeli*		*Michaele.*
ib.	23		ܡܕܝܢ̈ܬܐ		ܕܡܕܝܢܬܐ
25	15		ܕܟܘܠܗ		ܪܟܘܠܗ
31	3		ܕܐܠܗܐ		ܕܐܠܗܐ
41	24		*Invenal*		*Juvenal.*
44	8		ܦܪܕܐ		ܙܡܪܐ
51	12		*alias*		*alia*
52	20		*percurreram*		*percucurreram.*
66	16		*conjectori*		*conjectore.*
69	6		*abutentur*		*abutantur.*
71	13		*declararantem*		*declarantem*
92	25	post	*p.*	adde	92.
102	3	pro	*Cristo*	lege	*Christo.*
ib.	12		*natalia*		*natales*
111	11		*cto*		*cta.*
133	2		*confirmatur*		*confirmantur.*
153	1	post	*collatione*	insere	*non.*
172	ult.	pro	ܡܐܡܪܐ (bis)	lege	ܡܐܡܪܐ

ROMAE

TYPIS FRANCISCI BOURLIÈ

MDCCCXXVIII.



